Commentationes Prosodiacae Plautinae II. Ed. by A LUCHS.

11

REGIAE FRIDERICO-ALEXANDRINAE

LITERARUM UNIVERSITATIS

PRORECTOR

D. GUILELMUS LEUBE

MEDICINAE PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS

CUM

PROCANCELLARIO

RELIQUOQUE SENATU ACADEMICO

SUCCESSOREM SUUM

CIVIBUS ACADEMICIS

COMMENDAT

PRAEMISSAE SUNT

AUGUSTI LUCHS

COMMENTATIONES PROSODIACAE PLAUTINAE II

ERLANGAE

TYPIS JUNGE ET FILII

MDCCCLXXXIV

Quod prioribus commentationibus exploratum est, *quidem* particulam cum pronominibus personalibus possessiuis relatiuis tam arte apud Plautum coniunctam esse, ut compositiones euaderent eisdem legibus metricis atque cetera paris mensurae uocabula obnoxiae, idem ualere de pronominibus demonstratiuis nunc exponere adgrediar. In his autem nouum aliquid nec minus graue accedit: apparebit enim, formis *c(e)* suffixo auctis *quidem* non additum esse, sed praeter *ille*, ut hoc utar, *illic* et *illequidem* in usu fuisse, *illicquidem* non item. Atque de *ille* et *iste* id et libris proditur et numeris confirmatur. Nam quod Capt. II 2, 38 in BD scriptum est *Nam illic quidem Theodoromedes fuit germano nomine*, id metro arguitur corruptum ex *Nam ílle quidém Theodóromédes*, quod in uetustissimis editionibus restitutum est, uestigiumque ueri nescio an in codicis J scriptura *illi quidem* exstet; *istucquidem* autem, quae forma in libris Plautinis eadem constantia usurpatur qua *illucquidem* spernitur, non necessario ex *istu(d)c(e)* et *quidem* composita est, sed potius ex *istudquidem* similiter atque *quicquam* ex *quidquam* commutata; itaque uni quod restat Veteris testimonio Cist. I 1, 9 *istoc quidem* pro *istoquidem* tradentis non multum fidei tribuendum erit. Pariter *hicquidem* uitatum esse infra demonstrabitur; nunc exemplis omnibus congestis ostendam *illequidem illumquidem* ceterasque formas eodem modo quo uelut *interimam* et *circumdabo* pronuntiari percutique solitas esse.

Ille quidem aut in prima et quarta syllaba (*íllequidém*) aut in secunda (*illéquidem*) ictu metrico feritur; atque illud fit Merc. V 4, 14 *'Illequidem íllam sése ancillam mátri emisse díxerat.* Truc. IV 4, 31 *'Illequidem hínc abiít abscessit: dícere hic quiduís licet.* Bacch. I 1, 57 ubi traditum est *Ille quidem hanc abducet tu nullus adfueris si non lubet* Ritschelius, ut septenarii trochaici numeros reconcinnaret, transposuit *'Illequidem hánc abdúcet, nullus tu ádfueris*; aeque probabiliter *tu nullus* mutes in *tu nullum*, de quo Cas. IV 2, 16 et Loewium Anal. Plaut. p. 205 conferas. Capt. II 2, 38 *Nam íllequidém Theodóromedes fúit germano nómine*, cf. supra. Capt. III 4, 41 *Nam íllequidém, quem tu ésse hunc memoras, hódie hinc abiit Válidem.* Epid. V 2, 8 *'Apage illum a me, nam íllequidém Volcáni iratist fílius.* Epid. II 2, 72 *Nam íllequidem aút*

iam hic áderit, credo hercle, aút iam adest. Si aequóm siet. Most. V 1, 33 *Quíd iam? Scio iocáris nunc tu: nam ílequidem édepol haúd negat*, ubi *edepol* recte a Ritschelio additum esse eo adducor ut credam, quod haec Theopropidis uerba insequuntur *Immo edepol negat profecto*; haud raro enim eiusmodi particulae affirmatiuae ab eis repetuntur, quorum sermones se excipiunt, uelut Pseud. IV 7, 102 *Isquidem edepol Harpax ego sum. Immo edepol esse uis*, Amph. I 1, 215, Men. V 2, 69; uocem autem illam ante *haud* negationem, non cum Ritschelio post eam inserendam esse Herm. VIII p. 121 sq. docui Lorenzioque probaui, cf. comment. I p. 21 sq. Ad horum uersuum similitudinem Herm. VI p. 277 conieci accommodandum esse Mil. V 1, 37 *Nam ílle-quidém, qui ob óculum habebat lánam, nauta nón erat*, ubi *nam illic qui* A, *nam ille qui* BCD, *namque illic qui* Ritschelius, *nam illic qui ob oculum unum habebat lanam* Ribbeckius; supplementumque a me commendatum Brixius asciuit. Cum Gepperto et Ritschelio op. II p. 255 *illequidem* pro codicum scriptura *quidem ille* reponendum erit Truc. II 6, 28 *Eia nudiusquíntus natus ílequidémst. Quid póstea?* certe haec emendatio longe praestat ei quam Spengelius et Schoellius receperunt *natus quidem illic est.* Contra dubia eadem iunctura est Trin. III 2, 91 *Abiit hercle illequidem. ecquid audis, Lysiteles? ego te uolo*, quae uerba Reizius Ritscheliusque ita in septenarii trochaici modum reprimere conati sunt, ut *Abit* ex *Abiit* efficerent: '*Abit hercle ílequidem. écquid audis*, cui mutationi usum loquendi Plautinum minime fauere Brixius ad hunc uersum adnotauit; cum porro Hermanno *ille* eicienti eo uetemur adsentiri, quia *quidem* nequit particulam affirmatiuam insequi, nescio an cum Guyeto, in cuius sententiam Brixius quoque transiit, *quidem* tollendum sit, nisi cum Fleckeiseno Jahrb. f. Philol. CIII (1871) p. 811 *hercle* mauis inducere; uim autem si adhibere libet, alia quoque facile se offerunt, uelut '*Illequidem hércle abiit. atque audin, Lýsiteles?* — In altera syllaba *illéquidem* habet ictum Merc. III 1, 43 *Nullum ádulescentem plús amo. Puer ést illéquidem, stúlta.* Pers. IV 7, 4 *Illéquidem iám scit, quíd negoti gésserit.* Stich. IV 1, 55 *Hércle illéquidem cérto adulescens dócte uorsutús fuit*, Brixius Jahrb. f. Philol. CXXIII (1881) p. 53 *Illequidem hercle certo* posuit coll. Men. II 2, 39 Ter. Andr. II 2, 10 Phorm. I 3, 12 Stich. III 2, 26 Mil. II 3, 82. Bacch. I 1, 70 *Méus illéquidemst. tíbi nunc operam dábo de Mnesilochó, soror.* Bacch. IV 3, 20 *Quíd faciam? nihil hábeo miser: illéquidem hanc ábducét, scio.* Most. II 1, 28 *Válet illéquidem atque égo* (*ego* add. Pylades) *disperii. Dísperisti? quí potest?*

illa quidem plane ut *illequidem* duplicem habet pronuntiationem singulis exemplis adhibitam Mil. II 6, 3 *Certo íllaquidem* (sic A, *quidem illa* ceteri libri) *híc nunc íntus est in aédibus.* Stich. I 3, 97 *Illáquidem núllum sácruficauit. Quó modo?*

illud quidem Rud. II 4, 9 *Súbuolturium, illúdquidém subáquilum uolui dícere.* Most. III 2, 145 *Dórmiunt? Illútquidem út coníuent uolui dícere.* Rud. III 5, 26 *Illúdquidem édepol tínnimentumst aúribus.* Stich. IV 2, 11 *'Aduorsum te fábulare. Illúdquidem ámbos út uocem.* Cas. III 5, 57 *Atque íngratiis-quoi neuólt nubet hódie. Nam cúr non ego íd perpetrém quod cöépi, Vt nubat mihi? illud quidem uolebam nostro uilico,* quorum uersuum ultimum ita ut exscripsi solus Priscianus I p. 104 H tradit; Plautinis libris Palatinis uerba *non sed* post *uolebam* inculcata sunt, quae Plauti non esse euincitur dictione similium locorum Cas. III 5, 39 Mil. I 1, 27 III 2, 7 Most. III 2, 145 Rud. II 4, 9 Stich. IV 2, 11 (Amph. I 1, 228), cf. Ritschelii op. II p. 438; itaque hoc ipso argumento refellitur Gepperti octonarius iambicus *Vt núbat mi? illuc quidem uolebam nón, sed nostro uílico*; nec trochaicus octonarius, quem Fleckeisenus Krit. Misc. p. 10 et Spengelius Ref. p. 359 statuerunt, *'Illud quídem uólebam nostro uílico. Saepícule peccas* propter *illudquídem* pronuntiationem probabilis uidetur; eo uitio caret dim. bacch. cum penthem. iamb. a Studemundo Zeitschr. f. Gymnas. XVIII (1864) p. 538 descriptus *Vt núbat mihi. ílluc quidém uolébam*, quod metrum rectene Spengelius Ref. p. 277 sq. a Plauto abiudicauerit, non decerno; quaecumque autem dimetiendi rationes temptabuntur, id tenendum erit, non licere praesertim in cantico *illudquídem* percutere.

illi quidem Merc. III 1, 44 *Nam illíquidem haú sané diust, quom déntes excidérunt.*

illum quidem Cas. V 1, 11 *Nec* (*ne* B) *íllúmquidém nequiorem árbitro ésse* (*arbitrare esse* B), cf. Spengelius Ref. p. 362; Muellerus Plaut. Pros. p. 748 dubito an recte *Nec illo quidem* postulauerit.

illam quidem Pseud. IV 6, 36 *Qui illámquidém iam in Sícyonen abduxít modo,* quem senarium Ritschelius conformauit ex librorum uerbis *Qui illam quidem iam in Sicyonem ex urbe adduxit modo*; ceterum totus uersus uidetur subditiuus esse. Ex omnibus uersibus, quibus *quidem* pronominibus *ille* et *iste* subiunctum est, unus Mil. II 3, 52 ab usitata pronuntiatione recederet, siquidem proditus esset qualis a Ribbeckio et Brixio editur: *Verbero edepol tu quidem Caécu's, non luscítiosus: nam íllam quídem uidí domi*; uerum cum in codicibus haec sit deprauatio *nam illam quidem illa domi,* hoc exili testimonio sententiam nostram minime euerti elucet; quomodo autem posterior septenarii pars redintegranda sit, uix definias; ipse olim conieceram *nam ego illam uidi domi,* deinde Buggius *nam eccillam uidi domi,* possunt tamen etiam alia latere.

illuc quidem Poen. III 3, 70 *Bonam dedistis mihi operam. It ad me lucrum* 71 *Illóquidém, quorsum ásinus caedit cálcibus,* pro librorum ABCD memoria *illud quidem* Acidalius *illuc quidem* posuit.

iste quidem Merc. V 2, 104 *Híc Athenis ésse. Calchas ístequidém Zacýnthiust.* Poen. III 1, 10 *Nam ístequidém gradús succretust críbro pollinário.*

ista quidem Most. I 3, 78 *Iam istáquidem absúmpta* (hic *quidem* in libris praue repetitur) *rés erit: dies nóctesque estur bíbitur.* Ex eis quae Merc. IV 3, 31 produntur *Ista quidem illa est. Quae illa est? Illa. Iohia* Ritschelius hunc senarium effecit *Istáquidemst ílla ... Quaé illast? Illa ... Ohe iám satist*; minus probabilitatis habet Bothii coniectura in alteram Ritschelii editionem admissa *Istaéc quidem íllast,* quia Plautum praeter *istaquidem* etiam *istaequidem* usurpasse, licet ex *istaec* et *haequidem* concludas, tamen nullo certo indicio demonstratur.

istuc quidem Curc. I 1, 8 *Istúcquidém nec béllumst nec memorábile.* Poen. III 3, 32 *Ei Márs iratust. Cápiti uostro istúcquidém.* Mil. IV 4, 13 *Fácile istúcquidémst, si et illa uólt et ille autém cupit.* Mil. I 1, 19 *Istúcquidem édepol níhil est. Nihil hercle hócquidemst.* Pers. IV 8, 6 *Pol istúcquidem ómen iám ego usurpabó domi.* Poen. V 3, 53 *Pol istúcquidém iam cértumst. Tu istos Milphio* (*istuc* BC *istud* D), qui uersus de Vssingii et Goetzii Loewiique sententia insitiuus habendus est. Ex Bergkii op. I p. 131 et Muelleri Plaut. Pros. p. 241 emendatione, quam nec Ritschelius op. II p. 418 improbauit et Brixius adsumpsit, accedit Mil. III 1, 181 *Fúisse aeque néque futurum crédo. Credo ego istúcquidém,* ubi in BCD *istunc idem* scriptum est, Bothius autem Ritschelius Ribbeckius *istuc item* ediderunt. Praeterea fortasse addendus est senarius, qui in libris, nisi quod *in* deest, talis legitur Poen. III 5, 38 *Vae uóstrae aetati. 'Idquidem in mundóst tuae*; etenim si omnino hiatus tollendus est, qui, cum in caesura penthemimeri et confinio sermonum intercedat, defensione non carere uidetur, multo magis, quam quae adhuc prolatae sunt coniecturae (*Idquídem nunc in mundost tuae, Idquídem situm in mundost tuae,* aliae), haec et numeris et dictione Plautina commendatur mutatio *Vae uóstrae aetati. Istúc quidem ín mundóst tuae*: cf. Poen. IV 2, 90 *Valeas beneque ut tibi sit. Pol istuc tibi et tuost ero in manu,* Poen. V 2, 42 *Me har bocca. Istuc tibi sit potius quam mihi,* Poen. I 3, 18 *Fugio. Meum istuc magis officiumst quam tuum,* Amph. II 2, 109 *Vae capiti tuo. Tua istuc refert, si curaueris,* Asin. II 2, 40, Cas. III 5, 12, Mil. II 3, 55, similiaque haud raro alibi.

isti quidem Poen. I 3, 34 *Nam istíquidem hércle orátionist Oédipo Opus cóniectore.*

istum quidem praue in Palatinis traditur Poen. III 3, 36 *Quis hic ést? Nescimus nós istúm quidem quí siet,* in Ambrosiano recte *Nósquidem ístum,* cf. comment. I p. 19.

istam quidem pro inuerso librorum ordine *quidem istam* satis certa coniectura a Bothio repositum est, nisi quod is *istanc quidem* uoluit, Truc. IV 3, 68 *'Eumpse*

pol te iúdicasse istámquidém rem intéllego. Men. III 2, 31 sq. *An tibi malam rem uis pro male dictis dari? Post eam quidem edepol te dedisse intellego* Palatinorum scripturam *Post eam quidem* Vahlenus Rhein. Mus. XVI (1861) p. 633 ex *PE. Istamquidem* ortam esse suspicatus est, quod cum ab ipso nunc improbetur, tamen iure mihi uidetur a Brixio receptum esse.

istic quidem Cist. IV 2, 87 *Istíquidem édepol meí uiri habitát gener.*

Ab ea quae in ceteris numeris usitata est percussione necessario receditur in anapaestis: Mil. IV 2, 26 *Pol istúcquidem múltae. At nón multae de dígito donum míttunt.* Truc. I 2, 17 *Me illísquidem haec uérberat uérbis.* Cist. I 1, 9 *Pol istóquidem nós pretió facilest,* cf. Spengelius Ref. p. 364, qui p. 381 etiam Most. I 4, 21 duos dim. anap. catal. constituit *Nĕmpe dómum eo commissátum. Immo ístuc quídem iam mémini,* ad quam codicum memoriam Ritschelius Lorenziusque *huc* addentes octonarium trochaicum effecerunt *Némpe domum eo cómmissatum. Immo húc. Istúc quidém iam memini.*

Vbi *hic* pronomini *quidem* adnectitur, insignis quaedam mensurae differentia cernitur. Nam cum ceterae praeter *hic quidem* formae constanter creticum expleant et in iambis trochaeisque sesquipedem occupent, *hic quidem* non minus constanter anapaestum uel tribrachyn aequat unumque pedem in illis numeris efficit. Hanc pronuntiationis discrepantiam non casu ortam esse, praeter constantiam eius docet magnus exemplorum numerus, cum alterius generis sint plus quinquaginta, alterius supra triginta; causa autem nusquam aliunde potest repeti, quam quod non *hic quidem haec quidem hunc quidem* cet. sed *hiquidem haequidem hunquidem* siue *humquidem* dictum est, id quod p. 3 significauimus. Ita enim solum fit, ut in ceteris formis prima syllaba sit longa, quia aut natura (*haequidem huiquidem* cet.) aut positione (*hocquidem* pro *hodquidem humquidem* cet.) producitur, contra in *hĭquidem* breuis, quoniam nominatiui sing. masc. uocalem corripi demonstrauimus nec positio fit una consonanti subsequente.

Omnes igitur praeter *hĭquidem* formae in prima et tertia syllaba ictu feriantur oportet, quae lex non uiolatur nisi in primo pede uersuum iambicorum Rud. III 5, 47 *Haequídem* (*Haec equidem* BD) *Palaestra quaé respondet nón meast.* Cist. I 1, 45 *Haequídem ecastor cotídie uiro núbit nupsitque hódie.* Rud. V 2, 13 *Nam hocquidem pol e robígine, non ést e ferro fáctum.* Cas. I 55 *Hiquídem pol certo níhil ages sine me árbitro.* Pseud. I 1, 23 *Hasquídem pol credo nísi Sibilla légerit.* Pseud. I 1, 28 *Nam hasquídem gallina scrípsit. Odiosús mihi's*; et praeterea in anapaestis Pers. V 2, 11 *Hoc uíde: quae haec fabulast: híquidem pol potánt. adgrediar. ó bone uir,* quos numeros

Muellerus Plaut. Pros. p. 38 et Spengelius Ref. p. 105 et 391 constituerunt eadem quam libri praebent uersus terminatione uerborumque memoria, nisi quod *pol hic quidem* proditur. Most. IV 2, 21, ubi in Palatinis est *Nemo hinc quidem foras exit ut esse addecet nequam homines ita sunt*, in priore parte uersus uarios numeros uiri docti temptarunt: Studemundus Jahrb. f. Philol. CXIII (1876) p. 72 et Lorenzius anapaestos *Homo* (haec uox in A uidetur fuisse) *némo hinc quídem foras éxit*, Hermannus et Ritschelius iambos *Nemo hínc quidem huc exít foras*, Spengelius Ref. p. 304 uel trochaeos *Hínc quidém foras éxit nemo* uel iambos *Nemó quidem hinc exít foras.* In ceteris numeris eae quas dixi formae pro cretico ponuntur, cuius mensurae exempla iam enumerabo.

haec quidem Amph. II 2, 64 *Haéquidém delíramenta lóquitur. Paulispér mane.* Mil. II 4, 9 *Eri cóncubinast haéquidém. Mihi quóque pol ita uidétur.* Mil. IV 1, 41 *Quae ánulum istunc áttulit, quem tíbi dedi. Edepol haéquidém Bellulast.* Pers. IV 7, 13 *Quae uólui edicta. adsérua hanc. Saluast haéquidém.* Stich. I 3, 84 *Epignómi ancillast haéquidém Crocótium,* ut Ritschelius et Goetzius dimensi sunt; quam codices commendant percussionem *Epígnomi áncilla haéquidémst Crocótium* non praetulerim, quamquam eam Stich. III 2, 12 *Epígnome ut ego té nunc conspició lubens* tueri uidetur; ceterum cf. Muellerus Plaut. Pros. p. 330 et 679 et Goetzius praef. Stich. p. XVI. Rud. II 4, 7 *Me áttrectas. Pro di ínmortales, Véneris effigia haéquidémst.* Amph. II 2, 162 *Haéquidem ápparét. Quis igitur tíbi dedit? Qui mé rogat.* Capt. III 5, 92 *Vis haéquidem hérclest, ét trahi et trudí simul.* Men. II 3, 32 *Haéquidem édepol récte appellat méo me mulier nómine.* Poen. I 2, 38 *Cocást haéquidem, 'Agorastoclés, ut ego opínor.* Amph. II 2, 145 *Nam haéquidem édepol láruarum plénast. Quid uerbís opust?* Amph. II 2, 157 *Nam haéquidém nos délirantis fácere dictis póstulat.* Poen. V 4, 29 in hac codicum scriptura *Quae res iam diu* (*eo* add. A) *edepol sapientiam tuam haec quidem* (*qui quem* Pall.) *abusast* cum uerborum ordinem turbatum esse metrum indicet, Goetzius Loewiusque cum Spengelio Ref. p. 395 ediderunt *Quae rés? iam diu sapiéntiam tuam édepol haec quidem abúsast*; sed sermoni Plautino magis conuenit, ut *edepol* proxime ab initio sententiae absit, ubi in ipsis codicibus collocatum est; quamobrem praestare puto *Quae rés? iam diu edepol haéquidém sapiéntiam tuam abúsast.* Deprauatam esse librorum memoriam non minus consentitur Mil. IV 6, 44 *Naso pol iam haec quidem plus uidet quam oculis. Caeca amorest*; nec tamen correctionibus Muelleri Nachtr. p. 135 Ribbeckiique *Nasó pol iam* (Muellerus *iam* om.) *haéc quidem plús uidet quam oculís. Caeca hercle amórest* et Brixii *Nasó pol haéc quidem plús uidet quam oculís. Iam caeca amórest* pristinam uersus formam recuperatam esse existimo, quia in eis *haequidem*

pronuntiationem postulat, qua Plautus in iambis non solet uti; propius ad uerum uidentur Camerarius Ritscheliusque accessisse transponentes *Nasó pol iam haéc quidém uidét plus quam óculis. Caeca amórest,* ubi cum iambus geminatus in exitu prioris partis septenarii displiceat, *plus* non post *uidet* sed ante *haec quidem* collocandum erit: *Nasó pol iam plus haéquidém uidet quam óculis. Caeca amórest.* Ab Hermanno Ritschelioque *haec quidem* restitutum est Bacch. IV 4, 85 sq. *Máne dum scribit. Célerem oportet ésse amatorís manum.* 86 *Haéquidem* (*Atque idem* libri) *hérclest ád perdundum mágis quam ad scribundúm cita*; Muellerus Nachtr. p. 100 tacite *At quidem* scripsit.

hoc quidem Amph. I 1, 216 *Hócquidém profécto certumst, nón est arbitrárium.* Pseud. V 2, 2 *Líbere hercle hócquidém. séd uidé statúm.* Epid. III 2, 2 hanc pedum dimensionem *Per hanc cúram quieto tíbi licet esse: hócquidém iam périit* Fleckeisenus Jahrb. f. Philol. CI (1870) p. 76 Mohrius de iambico apud Plautum septenario (Lips. 1873) p. 18 sq. Goetzius in editione merito praetulerunt Geppertianae *Per hánc curam quietó tibi licet ésse: hocquídem iam périit.* Bacch. V 2, 22 *Pródigium hócquidémst: humana nós uoce appellánt oues.* Epid. III 3, 28 *Hanc édepol rem adparábat. Planum hercle hócquidémst.* Mil. I 1, 19 *Istúcquidem edepol níhil est. Nihil hercle hócquidémst.* Most. IV 2, 65 *Eú edepol patrem eius miserum praédicas. Nihil hócquidémst.* Truc. II 2, 14 *Rús merum hócquidémst. Pudendumst uéro clurinúm pecus.* Amph. I 1, 241 *Vérum utut es factúrus, hócquidem hércle haud reticebó tamen.* Aul. III 3, 1 *Hócquidem hércle, quóquo ego* (libri *ego* om.) *ibo, mécum erit, mecúm feram.* Capt. II 2, 107 *Hócquidem haúd moléstumst, iam quod cóllus collarí caret.* Men. V 5, 28 *Hócquidem édepol haú pro insano uérbum respondít mihi.* Pseud. IV 6, 16 *Dabín? Dabuntur. Hócquidem áctumst haú male.* Truc. II 6, 54 *Hócquidem hércle ingrátumst donum. cédo tu mi istam pérulam*; pro *hercle*, quod Geppertus et Spengelius ediderunt, *hercles* habet B, *hercle si* CD; Schoellio Fleckeisenus Jahrb. f. Philol. CIII (1871) p. 814 persuasit, ut cum Bothio inuerso ordine *si hercle* poneret, quod cur ab usu loquendi Plautino discrepet, Herm. VIII p. 121 sq. explicaui, cf. comment. I p. 21. Capt. II 2, 86 *Tam hócquidém tibi ín procliui quam ímber est, quandó pluit.* Merc. II 2, 14 *Dei mélius faxint. Dei hócquidém faciúnt. Quid est?* Curc. I 3, 26 *Nam hócquidem édepol haúd multo post lúce lucebít. Tace.* In libris BEJ praue *hoc quidem* traditur Epid. III 3, 12 *Fuit cónducibile hoc quidem mea senténtia,* ubi cum Acidalio *hoc mea quidem sententia* corrigendum esse comment. I p. 17 commemoraui; quem uersum cum eo quo in BEJ legitur loco ineptum esse Geppertus Brixius Goetzius consentiant, in Ambrosiano autem omitti Studemundus testetur, omnino ex illa fabula eximendum ueri simile est.

huic quidem Trin. IV 2, 128 *ego sum Charmides.* 129 *Néque edepol tu is és*

neque hodie is umquam eris — auro huiquidém; Hermannus et Muellerus Plaut. Pros. p. 51 et Nachtr. p. 95, ne in *eris* posterior syllaba esset producenda, *huic auro quidem* posuerunt.

hanc quidem Asin. II 2, 5 *Hámquidém quam nánctus praedam páriter cum illis pártiam.* Curc. I 2, 17 Goetzius recte sic percuti iussit *Canem esse hámquidém magis pár fuit: sagáx nasum habet. Amábo*, contra Fleckeisenus *Canem ésse hanc quidem magis pár fuit*, quod etiam propter proceleusmaticum *quídem magis* deterius est. Mil. IV 2, 15 *Tum haéc celocula illa absente súbigit me ut amem. Hercle hámquidém* 16 *Nil tu amassis*, ubi *hercle hanc quidem* CD, *hanc hercle quidđe* B.

hac quidem Asin. III 3, 151 *Iam dúdumst intus. Háquidém non uénit. Angipórto.* Most. II 1, 47 *Nam íntus potate haú tantillo háquidém causá minus*; initio uersus, ubi *Nã intus* B, sed *ã* et *in* e corr., *Namentus* C, *Nãmentus* D, conicias *Tamen intus* scribendum esse collatis Stich. V 1, 4 *Idem ego nunc facio, qui prouiso Sagarinum, Qui nihilo citius ueniet tamen hac gratia* et Pseud. I 2, 27 *Numqui minus ea gratia tamen omnium opera ego utor.* (Cas. prol. 83 *Faciét profecto in hác quidém comoédia* post Plauti aetatem confectum esse constat.) Amph. II 2, 104 Fleckeisenus olim epist. crit. p. XIX et Jahrb. f. Philol. LXI (1851) p. 50 codicum BDEJ memoriam ita seruari posse putauerat, ut inter *de* et *aliis* hiaret oratio, *Véra dico. Nón de hac quídem hercle ré, de aliis néscio*, id quod ipse iam non tuebitur; nec magis mihi probatur quod Muellerus Plaut. Pros. p. 318 dubitanter protulit *Véra dico. Nón de hac quídem hercle ré, nam de aliis néscio*; ueri similius est quod cum Camerario Fleckeisenus et Goetzius Loewiusque ediderunt *Véra dico. Nón quidem hercle de hác re, de aliis néscio.*

hic quidem Most. IV 2, 24 (933 R) *Híquidém neque cónuiuarumst sónitus, item ut antehác fuit.* Rud. I 3, 32 *Néc prope usquam híquidém cúltum agrum cónspicor.* Cap. I 1, 20 *Et híquidem hércle, nisi qui colaphos pérpeti Potis, .. extra portam Trigeminam ad saccum ilicet.* Pseud. III 2, 33 *Hoc híquidem hómines tám breuem uitám colunt.* Rud. IV 3, 50 *Nón enim tu híquidem óccupabis ómnis quaestus quós uoles.* Stich. IV 2, 42 *Nam híquidém geniúm meliorem túum non facies. éamus tu.* De Truc. III 2, 24 *Strabacem hic operiar modo,* 25 *Si rúre ueniat. Híquidem ápud nos ést Strabax,* ubi libri *is quidem apud nos est hic Strabax*, cf. comment. I p. 21. Capt. IV 4, 13 infra p. 14 tractabitur.

hinc quidem Pseud. I 5, 89 *Quid núnc agetis? nam hímquidem á me nón potest Argéntum auferri.* Stich. V 4, 6 septenarii trochaici in BCD supra modum referti *Nam hinc quidem hodie pollectura praeter nos iactura dabitur nemini* priorem partem *Nam hímquidem hódie pólluctura* incorruptam esse numerorum integritas indicare uidetur; alterius partis emendationem certam indagare non potui.

huc quidem Pseud. II 2, 59 *Húquidem hércle haud íbis intro, né quid harpagáueris.* Rud. II 3, 10 *Quasi nón sit intus. Néque pol est neque húquidem úllus uénit* ex fide codicis B, contra D turbato ordine *neque ullus quidem huc uenit.* Truc. II 4, 18 *Benene ámbulatumst? Húquidem hércle ad té bene.* Merc. II 3, 48 *Rés adhúquidem hércle in tutost: nam húnc nescire sát scio.*

hi quidem Epid. II 2, 9 *Ipsi híquidém mihi dánt uiam, quo pácto ab se argentum aúferam*; ex *hisce* forma conicias etiam *hisquidem* usitatum fuisse.

hae quidem Bacch. V 2, 7 *Attónsae haéquidem ámbae usque súnt. Vt uidéntur Deridere nos.*

has quidem Capt. III 5, 10 *Tuús sum: tu hásquidém uel praecidí iube.*

his quidem Mil. II 4, 15 *Tun mé uidisti? Atque hísquidem hércle oculís. Carebis crédo* [1]).

His plus quinquaginta exemplis cum *haequidem hocquidem* ceteraeque praeter *hĭquidem* formae ad normam creticorum uocabulorum numeris adhibitae sint, uno qui contrarius est septenario trochaico Mil. II 3, 82 aut Plautus legem alibi seuerissime obseruatam consulto neglexisse putandus est aut in codicum scriptura *Síc* (AB, *hic* CD) *obsistam, hac quídem pol certo uérba mihi numquám dabunt* mendum latere oportet; et hoc quidem eo ueri similius est, quo incredibilius ex tota fabulae descriptione uidetur seruum stupidissimum, qui illa uerba loquitur, de pluribus fallendi uiis cogitasse, id quod *hacquidem* uoce indicaretur; itaque *Si híc* (hoc Ritschelius coniecit) *obsistam, equidém pol certo uérba mihi numquám dabunt* restituendum erit.

Pro *hic quidem* scribendum esse *hiquidem* eamque uocem anapaestum uel tribrachyn aequare postquam primum in commentatione de genetiuis pronominum latinorum p. 26 significaui, Spengelius praef. Trin. p. XIII et Philol. XXXVII (1877)

---

1) Quoniam aptiorem locum non habeo, hic adnoto id, quod de *hic* pronomine ualet, etiam ad *nunc* aduerbium pertinere, cui his uersibus *quidem* additum est: Amph. II 2, 225 *Númquidém practér nos nemost: díc mihi uerum sério.* Mil. II 4, 45 *Scin té perisse? Númquidém domi cértost; certa rés est.* Poen. V 2, 68 *Quid aít? Non hercle númquidém quicquám scio.* Truc. II 1, 2 *Tandém sola súm: númquidém meo arbitrátu Loquár liberé.* Stich. III 2, 18 *Locátast opera númquidém; tam grátiast.* Men. V 5, 33 *'Immo Nestor númquidémst de uérbis praeut dudúm fuit.* Mil. III 1, 157 *Próletarió sermone númquidem hóspes útere.* Pseud. II 2, 16 *Quíd tu, seruosne és an liber? Númquidem étiam séruio.* Et *numquidem* scripturam Mil. II 4, 45 Ambrosianus et Stich. III 2, 18 Palatini BCD praebent; sed his testimoniis uix demonstratur uerae scripturae uestigia in libris Plautinis conseruata esse, quia in eis etiam *nunc quid* et *numquid, nunc quam* et *numquam* compluriens inter se permutantur.

p. 447 Seyffertus Zeitschr. f. d. Gymn. XXXIII (1879) p. 472 et Jahresber. XXXI (1882 II) p. 72 Brixius in quartae editionis Captiuorum adnotatione critica ad u. 823 (IV 2, 43), uiri sermonis numerorumque Plautinorum peritissimi, adsensu suo grauissimo sententiam meam comprobarunt; iam ipsis uersibus Plautinis exscribendis argumenta eius afferam.

Amph. I 1, 261 *Híquidem cérte quaé illic sunt res géstae memorat mémoriter.* Capt. III 4, 124 *Híquidem mé numquam ínridebit. Cólaphe Cordalió Corax!* Pers. I 1, 14 *Símilis est Sagarístionis. Tóxilus híquidem méus amicust*; Spengelius Ref. p. 187 et 385, ne quintus pes uocabulo dactylico *Toxilus* efficeretur, *Tóxilús meus híquidem amicust* transposuit. Poen. III 3, 59 *Quin híquidem túus est. 'Obsecro hercle hortámini.* Rud. V 3, 47 *Tíbi operam híquidem dat: taceto. Cóncede huc lenó. Licet,* quam codicum BD memoriam Fleckeisenus sine iusta ut uidetur causa in *Tibi quidem operam hic dat* mutauit. Stich. IV 2, 45 *'Eo quoque ibo. Di ínmortales, híquidem pól summam ín crucem Cena aut prandio perduci potis.* Stich. V 2, 7 *Sed Stíchus est híquidem. Fécisti, ere, facétias.* Trin. II 4, 156 *Quin híquidem cúpit illum áb se abalienárier.* Trin. IV 2, 34 *Méum gnatum híquidem Lésbonicum quaérit et amicúm meum.* Trin. IV 3, 23 *Di ínmortales, básilica híquidem fácinora inceptát loqui.* Trin. IV 3, 48 *Méus est híquidem Stásimus seruos. Nam égo talentum mútuom ... dederam.* Ad huius uersus exemplum Fleckeisenus conformauit Pseud. I 5, 30 *Quis hic lóquitur? meus est híquidem* (*hic est quidem* codd.) *séruos Pseúdolus,* meritoque ei Muellerus Plaut. Pros. p. 394 et Lorenzius in editione adsensi sunt. His uersibus ex Bothii emendatione a Ritschelio Brixio Vahleno comprobata addendus est Men. II 2, 35 *Insánit híquidem* (*hic equidem* codd.) *qui ípsus maledicít sibi*; minus enim aptum est quod Ribbeckius Lat. Partik. p. 41 praetulit *Insanit equidem,* quia in eiusmodi sententiis pronomen abesse non solet.

Amph. II 2, 28 *Méus uir híquidemst. Séquere hac tu me. Nám quid ille huc reuórtitur?* Curc. III 27 *Supérstitiosus híquidemst: uéra praédicat.* Mil. IV 6, 68 *Nauclérus híquidemst. Vídelicet arcéssit hanc. Ita crédo.* Most. II 2, 17 *Meus séruos híquidemst Tránio. O Theópropides.* Pers. II 2, 19 *Paégnium híquidemst. Sóphoclidisca haec ést peculiáris eius.* Pers. II 5, 8 *Sagarístio híquidemst* (*hic quidem sed* BCD). *quíd agitur, Sagarístio? ut ualétur?* Poen. V 3, 4 in libris Palatinis hic est uerborum ordo *Erús meus híquidemst, méarum alumnarúm pater,* in A *Hic quidem est meus erus* uidetur fuisse; Geppertus cum Bothio edidit *Erus hic quidem méus est,* Goetzius Loewiusque *Erus hic quidem meust,* qua traiectione non opus esse nuperrime Seyffertus Berl. Philol. Wochenschr. 1884 p. 1093 sq. monuit. Stich. III 2, 11 *Epignómus híquidemst, qui ástat. ibo atque ádloquar.* Stich. IV 1, 38 *Quási ego nunc sum. Pérge porro, praésens híquidemst*

ápologus. — In anapaestis Pers. V 2, 12 *Saluéto et tu bona líberta. Dordálus hiquidémst. Quin iúbe adire*, cf. Muellerus Plaut. Pros. p. 38 et Spengelius Ref. p. 391.

Bacch. IV 6, 5 *Atque híquidem opínor Chrýsalust. Accéssero.* Capt. IV 2, 43 *Eúgepaé, edictiones aédilicias híquidem habet*, ubi non solum superuacaneas sed maxima ex parte etiam uitiosas esse mutationes apparet, quae propter exitum uersus olim suspectum temptatae sunt, uelut *Eúge: edictiónes aedilícias pol habet híc quidem, Eúgepae, edíctiones aédilicias híc habet, Eúgepae, habet edíctiones aédilicias híc quidem*; et Brixius quidem, cum in secunda tertiaque editione adnotasset 'Der vorn (Hiatus!) und hinten (*quidem* kann unmöglich gänzlich elidiert werden) verdorbene Vers ist sicherlich nicht von Plautus', in nouissima editione mihi Spengelioque adsensus de integritate uersus suspicionem habere desiit; quod autem Muellerus Plaut. Pros. p. 715 sq. hunc uersum ex IV 2, 31 *Basilicas edictiones atque imperiosas habet* confictum opinatus est, id praeter Spengelium Philol. XXXVII p. 447 Vssingius refellit recteque animaduertit hoc uersu omisso proximum *Mirumque adeost ní hunc Aetoli sibi fecere agoranomum* Romanos homines uix intellecturos fuisse. Trin. IV 2, 26 *Fóres pultabo. Ad nóstras aedis híquidem habét* (mendose *habeat* BCD) *rectám uiam.*

Amph. I 1, 302 *Nám hiquidem ómnem imáginem meam, quae ántehac fuerat, póssidet.* Pseud. II 4, 46 *Di ínmortales, nón Charinus míhi hiquidémst sed Cópia* (*mihi hic quidem sed copiast* A). Trin. IV 2, 9 *Pól hiquidém fungíno generest: cápite se totúm tegit.* Merc. II 3, 31 in B ponitur *Méus patér hiquidémst, quem uideo. ibo, ádloquar. quid fít, pater?* contra in CD *Meus quidem hic pater est*, quem uerborum ordinem non praestare ceteris exemplis collatis perspicitur. Most. V 1, 15 (1063 R) *'Erus meús*[1]) *hiquidémst. gustare ego eíus sermoném uolo.* Aul. IV, 9, 18 *'Atque hiquidem Eúclióst ut opinor. óppido ego interii: palamst res*; alienum a sermone Plautino esse *At hic quidem*, quod Bothius et Wagnerus praeter libros ediderunt, Ballas Gramm. Plaut. I (diss. Gryph. 1867) p. 31 et Muellerus Plaut. Pros. p. 439 demonstrarunt, cf. etiam Seyffertus Zeitschr. f. d. Gymn. XXXIII (1879) p. 472. Pseud. IV 7, 37 *Heús ubi estis uós? Hiquidem ád me récta habet rectám uiam.* Stich. II 2, 28 *Sine suffragio* 29 *Pópuli tamen aedílitátem hiquidém*[2]) *gerit. Age tu ócius.* Stich. III 2, 5 *Hiquidém*

---

1) Eosdem ictus habes Mil. II 2, 80 *'Erus meús elephanti corio circumtentust, non suo.* Mil. III 1, 180 *'Erus meús ita magnus moechus mulierumst, ut neminem.* Aul. IV 1, 17 *Nam érus meús amat filiam huius Euclionis pauperis.* Pseud IV 7, 53 *'Erus tuús? Ita dico. Miles? Ita loquor. Macedonius?* Poen. IV 2, 79 *Nímium lepidum memoras facinus: nam érus meús Agorastocles.*

2) In eadem septenarii trochaici parte, atque hoc uersu *hiquidem*, *inhiat* collocatum est Stich. IV 2, 25 *Nam íllic homo tuam herédítátem inhiát quasi esuriéns lupus.*

Gelasimus ést parasitus, quí uenit. — In anapaestis Bacch. V 1, 19 *Hiquidém pater Mnesilochíst* (*est* add. Z, om. BCD). *Euge socium aérumnae et mei máli uideo*, cf. Spengelius Ref. p. 347. — Truc. II 2, 10 codicum BCD memoria *Nímis hic quidem truculéntust. Pergin mále loqui, muliér, mihi?* corrigitur Ambrosiano qui recte exhibet *Nímis quidem híc truculentust*, cf. comment. I p. 19 sq.; ibid. p. 21 explanatum est, cur Capt. II 2, 85 id quod in libris legitur *Príuatam medicí Menarchi. Pól hic quidem huius ést cliens* mendosum sit et *Pól isquidem huius ést cliens* restituendum.

Lacunosi sunt libri BDEJ Amph. V 1, 23 tradentes *Ibo et cognoscam* (*cognosco* B) *quisquis est amphitrio hic quidem erus meus*, cuius uersus priorem partem dimetrum iambicum esse consentitur *Ibo ét cognoscam qúisquis est*; ex altera parte Kiesslingius Anal. Plaut. (Greifsw. 1878) p. 9 eisdem numeris effecit *Amphítruo hic est quidem érus meus*, ubi uerborum ordinem non credo Plautinum esse; rectius igitur Spengelius *est*, quo careri nequit, cum Camerario post *hic quidem* inseruit trochaeosque descripsit *'Amphitruo hic quidemst érus meus*; iambos autem si probabiliores ducis, aut cum Brixio programm. Liegn. 1857 p. 6 transponas necesse est *Amphítruost hiquidem méus erus* aut praeter *est* etiam *atque* intercidisse concedas: *atque 'Amphitruo hiquidemst érus meus* uel *atque hiquidem Amphítruost érus meus*, cf. Aul. IV 9, 17 *Quinam homo hic ante aedis nostras eiulans conqueritur maerens? Atque hiquidem Eucliost, ut opinor*, Bacch. IV 6, 4 *Quis loquitur prope? Atque hiquidem opinor Chrysalust*; nam illum uersum uerba praecedunt *Quis hic est senex, qui ante aedis nostras sic iacet? Numnam hunc percussit Iuppiter? Credo edepol: nam pro Iuppiter sepultust quasi sit mortuos*; de *atque* cf. etiam Muellerus Plaut. Pros. p. 559. — In altero uersu, qui et ipse mancus est, Capt. IV 4, 12 *Dicam ut sibi penum aliud ornet, siquidem sese uti uolet:* 13 *Nam hic quidem ut adornat, aut iam nihil est aut iam nihil erit* non solum de metro supplementoque ambigitur sed etiam sitne *hic quidem* nominatiuus sing. masc. an aduerbium loci; nam Vssingius trochaicos hos uersus esse ratus cum Lindemanno suppleuit *Nam hóc, hic quidem ut adórnat*; sed trochaeos si statuis, eodem iure *hic quidem* pro aduerbio habes supplesque *Nam hiquidem, út hic adornat*; atqui cum ceteri eius scaenae uersus omnes sint octonarii iambici, ueri similius est in duobus extremis eosdem numeros seruatos esse, id quod Fleckeisenus et Brixius senserunt; atque ille cum Gryphium secutus *in hoc* adderet et *ut hic quidem* poneret, et sententiae et numeris satisfecit: *Nam in hóc, ut hiquidem adornat*; contra Brixii scriptura *Nam in hóc, hic quidem ut adornat* propter inusitatam *hiquídem* pronuntiationem non probanda erit; praeter Gryphianam autem aliae quoque emendationes praesto sunt, si *hiquidem* aduerbium esse ducis, uelut *Nam hiquídem, ut istíc homo adórnat.*

Poen. IV 2, 17 sqq. Geppertus et Goetzius Loewiusque ediderunt *'Omnia edepol mira sunt, nisi érus hunc heredém facit. Nam is quidem ut meditátur, illi uérba faciet mórtuo. 'Et adire lubet hóminem et autem nímis eum ausculto lubens*; in altero uersu *Nam is quidem ut meditatur illi* Acidalio debetur; ego librorum BCD scripturam *Nam id quidem illi ut* (*ut* om. CD) *meditatur* potius ex *Nam hic quidem* corruptam esse existimo similiter atque Mil. II 4, 52 in BCD *hic quidem* praue pro *id quidem* traditum est, cf. etiam Poen. I 2, 69 infra; nec enim nominatiui *is* et *isquidem* a Plauto ad significandos eos qui adsunt usurpari solent; cum praeterea facilius seruato uerborum ordine *illic ut meditatur* corrigatur quam cum Acidalio *ut meditatur illi* transponatur, uersus ille sic reficiendus erit: *Nám hiquidem íllic, út meditatur, uérba faciet mórtuo.*

Coniecturarum, siue libris interpolatis inlatae[1]) siue a recentioris aetatis grammaticis profectae sunt, quoniam rationem nullam haberi oportet, restat ut unum uersum commemorem, qui ex optimorum codicum fide *hĭquidem* mensuram respuat, Poen. V 3, 6 *Praestrígiator híc quidém Poenús probust* (*probus est* BCD); cum uero, ut usitata pronuntiatio restituatur, ea mutatio sufficiat, qua sine ulla dubitatione in permultis aliis uersibus ad corrigendos numeros utimur, nemo me audaciae aut temeritatis incusabit, si *est probus* pro *probus est* reponendum esse censeo: *Praestrígiator híquidem Poénus ést probus*; Spengelius praef. Trin. p. XIII supplere maluit *Praestrígiator híquidem Poénus pérbonust* uel *pérprobust.*

Cum praeter eos quos exscripsi uersus *quidem* pronominibus demonstratiuis non subiectum sit, maximis argumentis probatum est non *hic quidem haec quidem* cet. sed *hiquidem haequidem* Plautum et dixisse et scripsisse, nec omnino olim duas si non eiusdem at certe cognatae stirpis similisque significationis particulas *ce* et *quidem* eidem nomini subiunctas esse. Postea uero, quia plerisque *hi(c)* pronominis formis *c(e)* tam firme adhaeserat, ut simplices prorsus abolerentur, ceterae autem uoces uelut *ego tu*, si *quidem* additur, speciem suam non immutant, ad harum similitudinem falso *hic quidem haec quidem* scribi et paulatim fortasse etiam dici coeptum est, pariter ac multo posterius ex *huiusce hisce* cet. concluserunt *hicce haecce huncce* cet. duplicata *c* gutturali scribendum esse. Id iam Terentii aetate inualuisse ex uersibus eius coni-

---

1) In eo numero est Poen. I 2, 69 codicis Parisini scriptura a Gepperto in editionem recepta *'Etiamne ut ames éam, quam numquam tétigeris? nihili hic quidémst*, ubi *nihil illic quidem st* CD, *quidem st* (cet. om.) B; quae quam inepta sint, cum pridem praeter Pyladem Bothius cognouisset ex eiusque emendatione nuper etiam Goetzius Loewiusque *nihil id quidemst* Plauto reddidissent, ego Geppertum refellere supersedeo.

cias, quippe in quibus leges illae metricae non minus saepe neglegantur quam obseruentur. Nam congruentia quidem cum usu Plautino sunt Eun. II 1, 22 *Séd quis hic est, qui huc pérgit? attat híc quidemst párasitús Gnatho.* Heaut. IV 8, 11 *Immo haéc quidém, quae apút me est, Clitiphónis est Amica.* Adelph. V 8, 20 *Non, nísi te exorem. Vís est haéc quidem. 'Age prolixe, Mício.* Phorm. V 8, 11 *Adhúc curaui unum hóc quidem, út mihi essét fides.* Adelph. V 3, 17 *Non aéquom dicis. Nón? Nam uetus uerbum hóc quidémst.* Adelph. IV 2, 15 *Nón hercle híc quidém durare quísquam, si sic fít, potest.* Phorm. V 1, 27 *Quid? dúasne is* (*is* om. A) *uxorés habet? Au* (*obsecro* add. libri) *únam illé quidem hanc sólam.* Phorm. I 2, 84 *Illá quidem nóstra erít. Iocularem audáciam*; at contra discrepant Adelph. III 4, 23 *Vero ámplius: nam hoc quídem ferundum aliquó modost* et Heaut. I 1, 35 *Scire hóc uis? Hác quidem caúsa qua dixí tibi,* eademque inconstantia in ceteris quoque pronominibus deprehenditur: desitum est igitur *quidem* ita pro uoce enclitica haberi, ut cum praecedente nomine uno accentu comprehenderetur. Itaque non prorsus neges potuisse a Terentio etiam *istaec quidem* profectum esse, quod Bembino et Decurtato proditur Heaut. III 3, 5 *Nam istaéc quidem cóntumélia est* (*istae quidem contumeliae* Eugraph.), quamquam mihi ceterorum codicum et lex. Maii p. 541 scriptura *Nam istá quidem cóntumélia est* multo ueri similior uidetur. De usu ceterorum poetarum scaenicorum Plauto posteriorum propter dubiam et orationis memoriam et numerorum descriptionem nihil certi explorari potest; Naeuio autem quominus uno qui huc facit uersu 128 R *haequidem* pro *haec quidem* reddatur, nihil obstat, siue Ribbeckio adsentiris septenarium iambicum conformanti *Haequídem hercle, opinor, praéficast: quasi mórtuum conlaúdat* siue cum Ritschelio Parerg. p. 98 uerbis *Haéquidem hércle opinor praéficast* exitum uel senarii iambici uel septenarii trochaici effici existimas.

His rite praemissis hoc edicto pronuntiamus fasces academiae nostrae perendie ad virum nobilissimum et doctissimum

D. MAXIMILIANUM REESS

BOTANICES PROFESSOREM PUBLICUM ORDINARIUM ORDINIS S. MICHAELIS PRIMAE CLASSIS EQUITEM

prorectorem suffragiis collegarum creatum regisque nostri augustissimi potentissimi clementia confirmatum translatum iri. Is eodem die hora matutina XI in aula academica munus suum oratione publica auspicabitur. Quam ut audiatis Vestraque frequentia his sollemnibus speciem et dignitatem addatis, Vos, collegae coniunctissimi, commilitones humanissimi, amici universitatis nostrae omnium ordinum ornatissimi, omni qua par est observantia invitamus.

Erlangae die II mensis Novembris a. MDCCCLXXXIV.

REGIAE FRIDERICO-ALEXANDRINAE

LITERARUM UNIVERSITATIS

PRORECTOR

D. REINHOLDUS FRANK

THEOLOGIAE PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS

CUM

PROCANCELLARIO

RELIQUOQUE SENATU ACADEMICO

SUCCESSOREM SUUM

CIVIBUS ACADEMICIS

COMMENDAT

PRAEMISSAE SUNT

AUGUSTI LUCHS

COMMENTATIONES PROSODIACAE PLAUTINAE I

ERLANGAE
TYPIS JUNGE ET FILII
MDCCCLXXXIII

Emendatio Plautina praeter plenam sermonis notitiam accurata numerorum legumque metricarum cognitione nititur, numeri autem ipsi non recte possunt constitui nisi uocum syllabarumque mensura penitus indagata: itaque ne uirorum doctorum conamina ad inritum redigantur, ante omnia tamquam fundamentum artis criticae in Plautum conferendae prosodia quam potest firmissime est stabilienda. Quo in genere cum mihi particulae *quidem* cum pronominibus coniunctae pronuntiatio nondum satis uideatur explorata ac definita, in hac commentatione primum in nominatiuorum *hic illic istic hoc illuc istuc* syllabae finalis mensuram inquiram, deinde de *quidem* pronominibus personalibus possessiuis relatiuis adnexo exponam; in altera commentatione de eadem particula disputabo pronominibus demonstratiuis adiuncta.

Nominatiuum *hic* apud Plautum ceterosque fabularum scriptores [1]), prout numerorum opportunitas poetarumue arbitrium ferret, modo correptum modo productum esse omnes qui his rebus nunc operam nauant grammatici [2]) existimare uidentur. Et

---

1) In antiquissimis inscriptionibus, quae CIL uol. I comprehenduntur aut postea innotuerunt, *hic* exaratum est CIL I 32 (*consol censor aidilis hic fuet*), 1059, 1194; *hec* 32 (*hec cepit Corsica*); ephem. epigr. uol. IV p. 297 in senariis legitur *rogat ut resistas, hospes, te hic tacitus lapis*, at contra *praeconis Oli Grani sunt ossa heic sita*; per *ei* nominatiuus nusquam scriptus est.

2) C. F. W. Muellerus Plaut. Pros. p. 178 „Eae als Dativ" inquit „steht weder sicher Mil. 348: *Séd hic illi subpárasitatur sémper, hic eae próxumust* noch braucht *hic* lang zu sein"; ibid. p. 442 n. 1 „Damit soll keineswegs geleugnet werden, dass *hicine* und *hocine* die erste Silbe verkürzen können, obwohl meines Wissens weitere als die angeführten Belege dafür mangeln. Da aber *hic* und *hoc* nicht selten kurz sind, so ist kein Grund abzusehen, warum bei Anhängung der Silbe *ne* nicht dasselbe stattfinden sollte". — Vssingius Plauti comoediae uol. I p. 204 docet „pronominis demonstrativi . . . *hic haec hoc* . . . nominativus masculini ancipitem mensuram habet". — Corssenus Ueber Aussprache cet.[2] I 784 sq. II 672 (cf. II 631), cum originem *hic* nominatiui explicat, correptionis ne mentionem quidem facit, sed unam productionem ueram eius uocis mensuram habet.

posterioribus quidem litterarum Romanarum aetatibus uocis illius mensuram ancipitem fuisse uel ex Lucretii uersibus apparet, ubi pro breui est syllaba II 387 II 1066 IV 921 VI 9, pro longa multo saepius; plerique longius etiam progressi correptioni aut numquam omnino, in quibus est Horatius, aut semel bisue locum concesserunt, cf. Lucianus Muellerus de re metrica poetarum latinorum p. 343. Atqui de scaenicorum poetarum usu opinio illa incertissimis fundamentis nititur: nam perpauca producti *hic* nominatiui exempla omnia fallacia esse librorum manu scriptorum discrepantia uel sententiae sermonisque uitium manifesto coarguit. Quoniam autem corripi *hic* saepissime nemo ignorat [1]), ei tantum uersus mihi percensendi sunt, quorum ex numeris *hic* productum consequi uideatur.

Initium disputandi ab eis uersibus faciam, quos in utramque partem interpretari licet; quales sunt, ut paucos ex multis commemorem, Amph. II 2, 110 '*Iterum iam hic in me ínclementer dícit atque id síne malo*, Cas. III 2, 28 *Iam hic est lépide lúdificatus. Míseri ut festinánt senes,* Epid. II 3, 2 *Aequé feracem, quam hic est noster Périphanes,* Stich. II 2, 19 *Vérum ex multis néquiorem núllum quam hic est. Quó modo?* Postquam enim Bentleius in schediasmate de metris Terentianis docuit uocabula monosyllaba producta, quae uocali, correpta, quae *m* consonanti finiuntur, necessitate synaloephae legitimae esse exempta, eiusque licentiae usum satis late apud Plautum patere omnes hodie consentiunt, in illis uersibus nihil est impedimento quominus *iám hic in, iám hic est, quám hic est* pronuntiari iubeamus. Ac ne quid noui praecipi putes, auctorem laudo Fleckeisenum in hac sane re non constantem, qui Rud. IV 4, 56 uocales confundere uetuit notulis hunc in modum adscriptis: *dúm hic hinc a me séntiat*; Goetzius contra Epid. II 3, 2 *quam híc est* exprimi iussit. Eadem ratio pertinet ad Capt. IV 2, 25 *Míra edepol sunt ní hic in uentrem súmpsit confidéntiam*, ubi Brixius et Fleckeisenus ictus metricos ita disposuerunt, ut *hic* producatur, *ni híc in uentrem*; nisi forte collatis Amph. I 1, 127 *mira sunt nisi inuitauit*, Amph. I 1, 275 *mira sunt nisi latuit intus,* Poen. IV 2, 17 *mira sunt nisi erus hunc heredem facit* suspicaris *nisi* pro *ni* substituendum esse, quae tamen mutatio neque numeris neque sermone aut poscitur aut commendatur; nam *ni* in illa dictione non minus Plauto usitatum fuisse ex eis quae Ribbeckius Beiträge zur Lehre von den lateinischen Partikeln p. 16 collegit

1) Haec correptionis argumenta sufficiant: Persa IV 3, 74 *Hóspes ille, qui hás tabellas áttulit. Hicinést? Hic est,* Mil. II 1, 77 *Ipse éxit: hic illest lépidus quem dixi senex,* Mil. II 3, 4 *Híc illam uidit ósculantem, quántum hunc audiui loqui*, Epid. V 1, 15 *Híc est danista, haec illast autem, quam ego emi ex praeda. Haécinest?*

exemplis intellegitur. — Huc referendum est etiam Truc. II 1, 35, ubi libri manu scripti ita inter se discedunt, ut Palatini tradant senarium *Velut hic agrestis est adulescens qui hic habet*, Ambrosianus autem septenarium trochaicum *Vélut hic est aduléscens, qui habitat híc, agrestis rústicus.* Illos enim numeros si Plautinos esse ducis, nulla aut lex aut elegantia metrica suadet, ut in sententiam Kiesslingii annal. philol. uol. 97 p. 628, Niemeyeri de Plauti fabularum recensione duplici p. 49, F. Schoellii abeamus primi iambi thesin ex una syllaba *hic* constare putantium; immo non minus probabilitatis concedes habere hanc dimensionem: *Velút hic agréstis*, praesertim si comparaueris Merc. II 1, 3 *Velút* (*Vel ut* B, cf. Muellerus Plaut. Pros. p. 649 n. 2) *ego nócte hac quaé praeteriit próxuma* et simillime Rud. III 1, 4 *Velút ego hac nócte quaé processit próxuma.* In illo autem uersu ne *hic* priore loco positum pro aduerbio habeas, insequentibus uerbis *qui hic habet* cauetur et harum dictionum similitudine Curc. I 1, 44 *huic lenoni qui hic habitat*, Truc. I 1, 58 *haec meretrix quae hic habet Phronesium*, Men. II 2, 34 *Di illos homines qui illic habitant perduint.*

Non diu commorabor in eorum uersuum multitudine, in quibus productum *hic* nominatiuum grammatici praeter libros de suo ingenio addiderunt aut mutando uerborum ordine tradito effecerunt. Velut Bothius et Ritschelius fragmentum quoddam Bacchidum (u. 7 R) apud Charisium p. 201 K seruatum ita transformarunt *Verum híc Vlixem múlto adulescens ántidit* spreta codicis Neapolitani auctoritate, in quo integer exstat uerborum ordo *Verum híc adulescens multo Vlixem anteit*; ad hiatum autem tollendum, qui inter *Vlixem* et *antidit* intercedit, Buechelerus Mus. Rhen. XV 439 *Vlixeum* formam commendauit eademque Ennium in extremo senario (trag. u. 137) usum esse Ribbeckio persuasit. — Poen. IV 2, 23 inde a uetustissimis editionibus usque ad Geppertum propagatum est *Próinde habet hic orátionem, quási ipse sit frugí bonae*, ubi utra pronuntiatio minus sit incommoda, *habét hic orátionem*, quae Gepperto placuit, an *habet híc orátionem*, quae mihi necessaria uideretur, disceptare supersedeo, quandoquidem *hic* optimorum codicum fide omnino destituitur: nam non solum CP, de quibus Geppertus id memorat, sed etiam B eam uocem omittere Studemundus mecum communicauit, cuius benignitate factum est, ut de aliis quoque librorum scripturis infra referre possim. Aut igitur *hic* prorsus est remouendum aut ante *habet* inserendum. — Ceteras doctorum coniecturas illo quod significaui uitio laborantes ut enumerem aut adeo corrigam, non meum esse existimo.

Itaque ad eos uersus paucissimos (sunt enim non plus quattuor) adgrediar examinandos, in quibus *hic* productum ipsorum codicum testimoniis firmari uidetur. Qui quam nullam habeant uim ad meam sententiam refutandam, uel eorum declarat cor-

ruptio, quos primum tractabo: Merc. V 2, 110 *Híc homo insanúst. Medicari amícus quin properás mihi?* Most. III 1, 44 *Hic homo inanis est, hic homo est certe ariolus,* Capt. III 4, 15 *Hégio, hic homó rabiosus hábitus est in 'Alide.* Nam in primo uersu ex unius B memoria *hic homo insanus* Bothius quidem *Híc homo ínsanust* scripsit, sed Ritschelius et Goetzius politiore iudicio maluerunt codicum CD auctoritatem sequi ac praeeunte Guyeto *Híc homo nón sanust* Plauto reddiderunt. Alter uersus iam dudum partim a Pylade partim a Ritschelio in hanc formam redactus est *Hic homóst inanis, híc homo certest áriolus,* neque quisquam contendere ausus est prius *est* licere transponere, non licere posterius. Pariter *Hégio híc homó* a Plautinae artis usu abhorrere arguit mensura ceteris locis dictioni *hic homo* a Plauto tributa. Habes enim in thesi: Amph. I 1, 246 *Híc homo sánus non est,* Capt. IV 2, 13 *Híc homo púgilatum incipit,* Capt. IV 2, 51 *Híc homo ad cénam recipit se ad me,* Bacch. I 2, 53 (159 R) *Occísus híc homost. écquid in mentemst tibi?* Curc. II 1, 33 *Vah, sólus híc homost, quí sciat diuinitus,* Poen. III 2, 29 *Híc homo sápienter sapit,* Poen. V 4, 44 *Bónus est híc homo, méa uoluptas,* Pseud. IV 7, 22 *Heús tu. Quid uis? Híc homo méus est,* Trin. IV 2, 47 *Híc homo sólide sucophantast,* Trin. IV 2, 121 *'Adgrediundust híc homo mi ástu,* Trin. IV 3, 20 *Nón fugitiuost híc homo, cónmeminit domi,* Persa IV 4, 65 *Vírgo, probus est híc homo. Crédo. Non diu apud hunc seruies,* siquidem hanc Bothii coniecturam comprobas, cf. supra Poen. V 4, 44; ex librorum memoria *Vírgo, híc homo próbus est. Credo* hiatu primus pes a secundo diuellitur; Guyetus proposuit *Híc homo, uirgo, probus est. Credo,* Ritschelius *Vírgo hic homó probust. Credo edepol* uel *Credo equidem,* Muellerus Plaut. Pros. p. 678 sq. *Vírgo, hic leno próbus est. Credo.* — Item in arsi: Merc. II 2, 53 *Hic homo éx amore insanit,* Trin. V 1, 1 anapaest. *Hic homóst omnium hominum praecipuos,* Truc. II 2, 60 *Si écastór hic homó sinapi uictitet, non censeam,* Amph. II 1, 24 anap. uel iamb. *Hic homo ébrius est ut opinor,* quod libri praebent *homo hic* correxi Herm. VI 274 adsensique sunt Goetzius et Loewius. — Quibus autem rationibus Plautus *híc homó* pronuntiationem euitare studuerit, ex his uersibus apparet: Capt. IV 2, 22 *Quíd hic homó tantum incipissit facere?* Poen. V 5, 19 *Quís hic homóst cum tunicis longis?* Pseud. IV 2, 8 *Quís hic homó chlamidatus est?* Pseud. IV 6, 39 *Sed quís hic homóst chlamidatus?* Amph. I 1, 136 *Séd quis hic ést homó, quem ante aedis uídeo hoc noctis? nón placet,* hanc enim codicum DEJ memoriam, quam Fleckeisenus Goetzius Loewius receperunt, praestare codicis B scripturae *quis est hic homo* Seyffertus Stud. Plaut. p. 27 demonstrauit; Cas. III 6, 11 *Mane. Quíd est? quis hic ést homo?* Ambros., ceteri libri *quis hic homo est,* anapaest. numeros statuit Spengelius Reformvorschl. p. 360; Pseud. IV 1, 28 *Probus híc est homo. Néque hic est neque ego. At*

uide ne títubes. Potin ut táceas? hunc uerborum ordinem (*probus hic est homo*) in Palatinis traditum, quia septenarii anapaestici et praeceduunt et subsequuntur, Spengelius Ref. p. 403 praetulit simulque, ut legitimam diaeresin efficeret, *At ne titubes uide* posuit; Ambrosianum si sequeris *Probus ést hic homo,* octonarius anapaesticus euadit; Pseud. IV 7, 79 *Strénuissime hércle iuisti. quámuis pernix híc est homo,* ubi *strenuissime hercle* Bergkius Beitr. I 91, *strenui me hercle* B, *strenui me hercule* CD, pro *iuisti* in codicibus *isti* traditur, Ritschelius *Euge, strenue mehercle isti* edidit; Pseud. II 2, 6, quem uersum Spengelius Ref. p. 401 subditiuum esse ducit, in C proditur *meus est hic homo,* in reliquis *meus hic est homo.* — Praeterea *hic homo,* ut omnia eius dictionis exempla enumerem, usurpatur Stich. II 2, 36 *Hic hércle homó nimium sapit,* Men. II 2, 9 *cérte hic ínsanust homo,* Amph. I 1, 251 *Nón loquor? non uígilo? nonne hic homo modo me pugnis contudit?* quod cum septenarii mensuram excedat, Fleckeisenus cum cod. Guelferb. et Scutario *modo* induxit: *non* (sic recte Gronouius) *hic hómo me pugnis contudit,* ego, quia *hic hómo* pronuntiatio suspicionem inicit, cum Guyeto Spengelio Die Partikel Nonne p. 4 Goetzio Loewio *nón hic módo me pugnis c.* praeferam; denique Asin. V 2, 51 *Quíd quom adest? Periísse cupio. Amát homo hic te, ut praédicat* ipsa caesura inusitata uerborum confusionem indicare uidetur.

Hac testimoniorum copia illud probari existimo, noluisse poetam ut Capt. III 4, 15 *Hégio híc homó* pronuntiaretur. Itaque ut unam quae deest syllabam recuperes, aut hiatu *Hegio* ab *hic* separes, quae licentia praeter Ennianum illud apud Cic. or. 45, 152 *Scipio inuicte* defendi et excusari uidetur eis exemplis, quae Lachmannus ad Lucr. p. 387 sq. Bergkius Beitr. I 71 Vahlenus Herm. XVII 601 laudant, Plaut. Men. II 3, 78 *'Eho Messénió accéde huc,* Amph. II 2, 196 *'Amphitruó aliús qui forte,* aliis plus minus incertis; aut, quod equidem suadeam, ex insequentium uersuum dictione emendationem repetas; Tyndarus enim haec uerba ad Hegionem facit: *Hégio, hic homo rabiosus habitus est in Alide: Né tu quod istic fabuletur auris inmittas tuas. Nám istic hastis insectatus est domi matrem et patrem, 'Et illic isti, qui sputatur, morbus interdum uenit. Próin tu ab istoc procul abscedas.* Nam cum omnibus qui insequuntur uersibus Aristophontes a Tyndaro *iste* pronomine significetur, etiam primo quem exscripsi uersu sermonem eodem modo institutum fuisse conicias: *Hégio, ístic homó rabiosus hábitus est in 'Alide.*

Iam unus restat uersus Plautinus, in quo *hic* productum librorum manu scriptorum fides testatur; quod tamen testimonium non ui opprimamus necesse est, immo ipsa oratio uitium et errorem praefert: Amph. I 1, 144 *Cláre aduorsum fábulabor, híc auscultet quaé loquar: 'Igitur demum mágis maiorem in sése concipiét metum.* Haec

uerba Mercurius submissa uoce dicit, priusquam eum se grauissimis suppliciis persecuturum clare profitetur, qui illo tempore sibi obuiam futurus sit; significat autem Sosiam, qui in propinquo se occultat illumque euitare studet, atque clare se fabulaturum commemorat, ut ille quae mox dicturus sit exaudiat. De sententia igitur illius enuntiati cum nulla sit dubitatio, tamen dictio ab usu loquendi Plautino aliena est. Particulam enim quam dicunt finalem Plautus ita tantummodo addere omittit, si *oro* (cf. Heerdegenus Untersuchungen zur lateinischen Semasiologie III 24) *obsecro moneo uolo* ad coniunctiuos accedunt ceteraque uerba, quae nihil aliud quam ipsius coniunctiui uim ac notionem accuratius definiunt. Sed ubi noua quaedam actio, qua aliquid efficiatur, enuntiato primario continetur, non potest *ut* deesse. Certe ex huius generis uersibus, quos Holtzius synt. prisc. scr. lat. II p. 167, 170, 171 exscripsit (nam Kuehnerus II p. 808 et Draegerus § 409 sua ex Holtzio sumpserunt), unus est Plautinus et is aperte corruptus pridemque emendatus, ceteri sunt ex prologis et ei quoque partim incerti uel deprauati. Nam Poen. prol. 108 apud Holtzium quidem legitur *Dat aurum, ducat noctem*, sed Geppertus *Dat aurum, ducit noctem* expressit nulla scripturae uarietate commemorata; Amph. prol. 8, ubi traditum est *Vtí bonis uos uóstrosque omnis núntiis Me adfícere uoltis, éa adferam, ea uti núntiem,* Goetzius et Loewius *ea uti nuntiem adferam* ediderunt; Amph. prol. 11 *Nam uós quidem id iam scítis concessum ét datum Mi esse áb dis aliis, núntiis praesim ét lucro* propius accedit ad Plauti consuetudinem. In uno autem loco uere Plautino Epid. II 3, 9 *máne me iussít senex Condúcere aliquam fidicinam sibi húc domum, Dum rém diuinam fáceret, cantarét sibi* neque Geppertus neque Goetzius codicum scripturam seruauerunt: ille mutauit *fidicinam sibi, ut domi*, hic *fidicinam quae hodie domi*, Guyeto *fidicinam me quae domi* praeeunte. Quae cum ita sint, Amph. I 1, 144 nudum coniunctiuum cum Plauti sermone pugnare contendo et *ut* coniunctionem uel ante *hic* uel post intercidisse existimo; Goetzius quoque et Loewius in ipso quidem uersu *fabulabor, hic auscultet* intacta reliquerunt, sed in margine recto sensu sitne *ut hic* corrigendum suspicantur. —

Apud Terentium unum producti *hic* nominatiui exemplum exstat idque prorsus incertum, quia optimus codex aduersatur. Nam Phorm. V 9, 38 cum libri ex Calliopii recensione ducti praebeant *Síc dabo: age nunc Phórmionem quí uolèt lacéssito: Fáxo tali eúm mactatum, atque híc est, ínfortúnio,* Bembinus alterum uersum hunc in modum tradit: *Fáxo tali sít mactatus, átque hic est, ínfortúnio.* Atque sermonem si spectas, neutra scriptura habet cur aut praeferatur aut repudietur, cf. Heaut. II 3, 100 *Ademptum tibi iam faxo omnem metum,* Adelph. V 3, 60 *Atque ibi fauillae plena fumi ac pollinis*

Coquendo sit faxo et molendo; fidem autem maiorem sibi poscere Bembinum ex Conradi Sydowii libello de fide librorum Terentianorum ex Calliopii recensione ductorum (Berol. 1878) cognoscitur, qui etsi de illa discrepantia disserere praetermisit, tamen eiusmodi mutationes consulto factas, qualis etiam Phorm. V 9, 39 deprehenditur, non librario codicis Bembini sed censori librorum Calliopianorum tribuendas esse explorauit. Itaque cum Bembini scriptura maiorem ueri speciem prae se ferat, illud fortasse aliquantum mouebit dubitationis, quod unus pes quintus *atque hic est* uocabulis efficiatur; sed haec dimensio nullam habet suspicionem, quia alibi quoque apud Terentium similes inueniuntur, uelut Andr. IV 4, 48 in senarii principio *Hic est ílle,* Andr. I 5, 2 pes quintus octonarii iambici constat ex *quid est si hóc*, cf. Phorm. II 3, 64 *quíd est,* aliaque quorum Spengelius in introductione Andriae p. XXVII sq. mentionem facit.—

Ne in ceterorum quidem comicorum tragicorumque fragmentis, quae Ribbeckius recensuit, certum est producti *hic* nominatiui testimonium: nam aut libri alia produnt atque nunc eduntur, aut numerorum uersuumque descriptio aliter potest institui: Caecil. Stat. 218 *híc amét, Fámiliae famé perbitant* (*pereant* codd. Nonii), *áger autem stet séntibus*, si *perbitant* recte pro *pereant* est substitutum, licet etiam senariis haec composita esse suspicari; Afran. 6 — *adeste, si híc* (*hac* libri Nonii) *absente nóbis uenierít puer*; Pompon. 156 *Quis híc est? quamóbrem hic próstat? rictum et lábeas cum consídero* ipse Ribbeckius adnotat „*quís hic est* alii praeferant"; Att. 122 *Fortásse an sint, quos híce* (*hic* Non.) *non mertét metus*; trag. inc. inc. 93 *Hícine ílle est Télamo, modo quem glória ad caelum éxtulit*, libri optimi Cic. Tusc. disp. *hicine est ille*; trag. inc. inc. 151 *Nímirum híc ille ést uir talis tántis opibus praépotens*, cod. Charisii *nimirum hic est ille talis uir*; uno autem loco, quo ex librorum memoria *hic* producitur, Afran. 135 *Consímili grassantúr uia, quibus híc est omnis cúltus*, nec cogit nec suadet quicquam, ut *hic* nominatiuum esse interpretemur.

Itaque cum praeter eos de quibus exposui uersus alium, quo *hic* productum certo demonstretur, equidem apud uetustiores poetas scaenicos nullum inuenerim, iam exploratum puto, ab eis quos dixi poetis *hic* nominatiuum constanter correptum esse[1]), cuius rei grauiora etiam argumenta in altera commentatione proferentur. —

In *illic* et *istic* nominatiuis productioni posterioris syllabae nullum esse locum, ipsa horum uocabulorum origo aperte ostendit, quippe quae non, ut ueteres gram-

1) Primum productionis exemplum apud Ennium exstare uidetur in hoc hexametri mutili principio (annal. 127 Vahl.) *Hic idem*, praecedit autem *fecit*. — In Luciani Muelleri Lucilio *hic* producitur III 8, XI 22, (XXX 98, 110), corripitur nusquam.

matici Latini ac nostra aetate etiam Corssenus Ueber Aussprache cet.[2] II 633 opinati sunt, ex *ille* et *hic*, *iste* et *hic* sint composita, sed ex *illece istece* plenioribus formis debilitata atque imminuta; ut autem *ille iste* pronominum posteriores syllabas correptas esse inter omnes constat, ita idem de *illic istic* nominatiuis [1]) iudicari existimarem, nisi multae hac ipsa re uitiosae doctorum coniecturae rem aliter se habere docerent. Quas cum ad hanc quaestionem decernendam nullam uim habere consentaneum sit, solos eos uersus commemorabo, qui ex librorum memoria aduersantur: Men. I 1, 22 *Nam illíc homo hómines nón alit uerum éducat*, Truc. V 25 *Séd ecam uideo: heus amicam quid agis mille quis illíc homó*, quos deprauatos esse permulti illi loci conuincunt Herm. VI 278 sqq. congesti, quibus aut *íllic homó* aut *illíc homo* —′ pronuntiatum est. Atque in illo uersu Ritschelius *hercle* inseruit: *Nam illíc homo hercle hómines,* ubi tamen *Nam hercle íllic homo hómines* ponendum fuisse Kellerhoffius De collocatione uerborum Plautina p. 24 monuit; Seyffertus enim Stud. Plaut. p. 21 docuit „inter *nam* et *hercle edepol pol* uoces a Plauto numquam alia uocabula interponi nisi pronomina cum *quidem* particula coniuncta“, idemque postea Brixius in append. crit. ad Capt.[3] 893 exemplis confirmauit; Brixius Men. I 1, 22 Bergkiana illa forma *homones* ascita *Nam illíc homo homónes* edere maluit. Truc. V 25 autem *est,* quod uerbum abesse non potest, nunc recte cum Weisio ante *homo* additur: *quís illic ést homo.* Pseud. IV 1, 44 uero, ubi libri tradunt *'Illicinést? Illic est. Mala mercist. Illuc sis uide*, etiamsi *illic* pro spondeo habes, numeri non constant. Non minus aperte uitia praeferunt Merc. V 2, 40 *ilicobiecit* (sic B, *illi obiecit* rell.), ubi Ritschelius et Goetzius *mi obiecisti* ediderunt, Truc. II 7, 35 apud Muellerum Plaut. Pros. p. 118 et 399, ubi numeri nunc aliter describuntur. His librariorum erroribus refellendis ne diutius operam perdam facit adsensus, quo mea sententia de syllaba posteriore *illic* et *istic* nominatiuorum constanter correpta, postquam eam Herm. VI 279 proposui, a Buggio annal. philol. 107 p. 413 et 415, a Fleckeiseno ibid. p. 414, a Brixio ad Men. 98, ab aliis uiris doctis probata est. —

Sequitur ut de neutrius generis nominatiuis *hoc illuc istuc* disputem, quorum syllabas finales ab eis quos significaui poetis etiam correptas esse ab nonnullis existimari uidetur. Cuius tamen opinionis argumenta pariter admodum futilia sunt. Nam cum *hoc illuc istuc* ex *hodce illudce istudce* orta sint (cf. praeter alios Corssenus Ueber

1) Correptionis testimonia etiam horum senariorum exitu continentur: Curc. II 2, 24 *Pro di inmortales, quem conspicio, quis illic est?* Merc. II 2, 42 *Si umquam uidistis pictum amatorem, em illic est,* Mil. I 1, 22 *Aut gloriarum pleniorem quam illic est.*

Aussprache cet.[2] I 647 II 97 457), proprie *hocc illucc istucc* scribendum fuit; atque licet consonans in extremo uocabulo a Latinis numquam duplicetur, tamen ex satis magno numero uersuum illud euidentissime apparet, syllabam extremam illarum formarum pro longa usurpatam esse ueramque earum originem priscis poetis Latinis nondum memoria excidisse. Productio autem ita explicanda est, ut aut pronomina illa, ubi proximum uocabulum a uocali incipit (uelut *hoc est, illuc est*) duplicata consonante finali *hoccest illuccest istuccest* sint pronuntiata [1]), aut ut uocalis, postquam *d* consonans in similitudinem insequentis *c* gutturalis abiit nec tamen uoce aut scriptura significata est, supplementi causa producta sit, quam rationem Ersatzdehnung appellant. Hinc elucet improbandam esse Ribbeckii Beitr. z. Lehre v. d. lat. Part. p. 21 sententiam, qui cum *atque* coniunctionem pyrrhichium aequare posse contenderet, hanc correptionem ita defendit, ut dentalem ante *q* gutturalem eiectam esse statueret; quam coniecturam *ac* particula confirmari putat, quippe quae ipsa dentali eiecta (et *e* finali amissa) orta sit [2]). Sed neglexit uir doctissimus insequente gutturali dentalem numquam ita euanescere, ut nullum sui uestigium relinquat, sed eam, si ui gutturalis opprimitur, aut in similitudinem gutturalis abire (*acque* uel *acce,* cf. *acquiescere, accedere*) aut uocalis proxime praecedentis productionem efficere. Itaque uocis *atque* priorem syllabam, ubi ictu metrico feritur, siue uocabulum proxime insequens a consonante siue a uocali incipit, correptam esse nego; illud potius quaeritur, sitne in eis uersibus Plautinis, quorum numeris pyrrhichiaca *atque* particulae mensura exigi uidetur, *ac* pro *atque* supponendum, qua de re etiam Spengelius Ref. p. 311 adnot. ad Pseud. 1320 cogitat.

---

1) Cf. etiam Bergkius Beitr. I p. 76 n. 1 „In dem Neutrum *hoce*, *hocine*, *illuce*, *illucine*, *istucine* und ebenso in den Ablativen *hoce* und *hace* liesse sich die Gemination aus der Assimilation des D erklären, allein die Inschriften bestätigen dies nicht, indem sie überall nur einfaches C zeigen, auch da, wo die Gemination bereits allgemein war. Im Oskischen ist ebensowenig eine Spur der Verdoppelung in diesem Falle vorhanden. Das D kann eben dem C (K) gegenüber sich nicht behaupten, sondern wird sofort unterdrückt. Nichtsdestoweniger wird die Sylbe als lang betrachtet, Terenz Eun. IV 7, 12: *illūc est sapere,* Hecyr. IV 3, 2: *istūc est sapere*, unter Umständen jedoch auch verkürzt". Praeterea *illūc* productum habes uelut Rud. IV 7, 32, Merc. I 2, 10; *istūc* Epid. V 1, 52; Adelph. III 3, 32, Heaut. II 3, 105, II 3, 107 (*istut* A), III 2, 47; *hōc* productum est e. g. Asin. V 2, 14, Capt. V 1, 10, Epid. V 2, 48, Men. IV 2, 74, V 9, 63, Mil. II 2, 63, III 2, 34, Pseud. IV 2, 5, IV 7, 55; Hec. I 2, 119, Andr. IV 1, 41, Eun. II 3, 35.

2) Etiam Corssenus Ueber Aussprache cet.[2] II p. 645 n. *) docet „An den Stellen, wo bei Plautus *ătque* gemessen erscheint, ist *ăc* gesprochen worden"; cf. Muellerus Nachträge p. 40 n. 1.

Neque uero *hoc* nominatiuum correptum esse certo ullo uersu confirmatur, nisi forte lege illa Lachmanniana (ad Lucr. p. 116) appellata uersus adsciscis, qualis est Truc. II 6, 56 *Téne tibi. Hócine mi ób labores tántos tantillúm dari* uel similes atque Andr. I 5, 1 *Hocinést humanum fáctum aut inceptum? hócinest ófficiúm patris?* His enim uersibus nihil omnino demonstrari inde apparet, quod eadem ratione etiam *haecine huncine hoscine* similium formarum primas syllabas breues fuisse concludere licet, id quod nemo inde concludere ausus est. Neque plus argumenti ceteris subministrari uersibus, quibus *hoc* corripi uidetur, iam Seyffertus Stud. Plaut. p. 13 declarauit, cuius uerba ipsa transcribere libet: „Ba. 1099 (V 1, 13) *Hoc hoc ést quod* [*pectus*] *péracescit, hoc est démum quod percrúcior.* Hanc Hermanni scripturam Ritschelio et Fleckeiseno probatam propterea ueram putare nequeo, quod *hoc* pronominis mensura a scaenicorum usu discrepat. Quod pronomen cum non corripiatur nisi eisdem condicionibus atque *hic* et *huc* adverbia, ut et ipsum extra ictum positum sit et antecedat vox monosyllaba atque brevis — nam Ba. 720 (IV 4, 69) *Quíd tu loqueris? Hóc ut futuri sumus* ss. iam R. rectissime scripsit *loquere? Hoc ut* ss.; Mgl. 229 (II 2, 74) *Túte unus si recipere hóc ad te dicis* ss. idem *Tute unus si hoc recipere ad te*[1]) ss. vel *Tute hoc si unus* ss. (praef. Stichi p. XVII*); Cas. IV 4, 2 *Sospés iter incipe hoc út viro tuo sémper sis superstes* Guietus *incipe hóc, viro ut* ss.; Pseud. 140 (I 2, 7) autem *Hóc eorum opust* verba ionicum a maiori aequare putanda sunt, si sic recte se habet versus initium, id quod maxime dubium est; quod R. denique Mgl. 1062 (IV 2, 70) in notis dixit licere etiam *heu hŏc ĕcastor*, nequaquam licere ipse credo iam intellexit —, pronomen igitur illud cum praeter eas quas diximus condiciones non corripiatur, quae in libris leguntur, nisi sic metiri non licet: *Hoc hóc est quod — péracescit, hoc ést demum quod pércrucior.* Versus igitur octonarius anap. est, ut ei qui antecedunt, lacuna autem explenda est *cor* vocabulo, cuius usum apud Plautum frequentissimum esse constat."

Reliquum est, ut de *illuc* et *istuc* exponam. Atque *illuc* cum correpta syllaba posteriore nusquam inueni; *istuc* autem eam mensuram postulat praeter Andr. V 4, 38 *Cum túa religione, ódium nodum in scirpo quaeris. Quíd istuc est?* Truc. II 7, 57, ubi apud Schoellium legitur *Túm pol ego et donis priuatus sum ét perii. Plane ístuc est* idemque Spengelius olim ediderat, nuper tamen Ref. p. 425 septenarium anapaesticum

1) Rectius etiam, cum B *tu deunius*, CD *tudeunus* tradant, Muellerus Nachtr. p. 77 et Brixius seruato uerborum ordine *Tu únus si recipere hoc ád te* restituerunt, nam „*tute*" ait Brixius „ist hier nicht am Platze."

descripsit haec adnotans: „Die Endsilbe von *istuc, illuc* ist immer lang.“ Et profecto cum *illud illut illuc* et *istud istut istuc* scripturae in codicibus haud raro inter se permutentur atque adeo *illud est* et alibi usurpatum et Andr. I 1, 98 *Percússit ilico ánimum. attat hoc íllud est* in eadem uersus parte positum sit, illis uersibus non id coargui puto, ueram *illuc istuc* formarum prosodiam tum coepisse in obliuionem uenire, sed potius codicum memoriam deprauatam et *istud* (*istut*) pro *istuc* restituendum esse: *Quid istud est?* et, siquidem Truc. II 7, 57 trochaeos agnoscis, *plane* (an *planum*?) *istud est.* Nec enim, cum tam certa productionis testimonia (cf. p. 11) suppetant, ullo modo ueri simile uidetur, *istuc* etiam correpta posteriore syllaba pronuntiatum esse, praesertim in iambico uersuum exitu, ubi ne spondeus pro iambo substituatur seuerissime caueri solet. Quod uero Fridericus Schmidtius, Quaestiones de pronominum demonstratiuorum formis Plautinis p. 81, Plautum Terentiumque sola forma *istuc* usos esse contendit, equidem ne *istud* a sermone illorum poetarum alienum esse arbitrer primum eo adducor, quod etiam inter *istaec* et *ista* neutr. plur. ea ratio intercedit, ut saepissime quidem *istaec* ponatur, nihilo minus autem bis terue et apud Plautum et apud Terentium *ista* ita traditum sit, ut nisi ui adhibita *istaec* non possit in uersus inculcari: Dziatzko quidem Adelph. II 1, 31 et IV 5, 43 *ista* seruauit itemque cum Loewio Goetzius Amph. II 1, 42, quem nunc etiam Asin. III 2, 32 a librorum memoria non recessurum puto. Deinde quamquam non refragor, quominus etiam Phorm. III 2, 39, ubi Bembinus *istut* praebet, cum ceteris libris *istuc* edatur, cum praesertim *istúc* pronuntiandum sit, tamen apud Plautum compluriens *istud* ab omnibus codicibus exhibetur, et Goetzius Asin. III 3, 54 quidem *istuc* pro librorum memoria *istud* expressit, sed postea Aul. III 5, 16 *istud ius* noluit cum Schmidtio in *istuc ius* mutare; omnino autem, certe si posterior syllaba in arsi est, *ístud* (uel *ístut*) ubi proditum est mihi uidetur seruari posse: Most. IV 2, 63 *néque istud aio*, Capt. IV 2, 118 *spónden tu istud* (ita B, cf. Studemundus annal. philol. 113 p. 75) et ubicumque praeterea a libris praebetur. Denique cum *illud* a Plauto et Terentio usurpatum esse constet, cur *istud* prorsus damnandum sit equidem non uideo.

Summa igitur disputationis nostrae haec est: apud uetustiores poetas scaenicos constanter in nominatiuis *hic illic istic* syllaba finalis corripitur, producitur in *hoc illuc istuc*.

In altera huius commentationis parte, qua de particulae *quidem* cum pronominibus personalibus possessiuis relatiuis coniunctae mensura et pronuntiatione exponere in animo est, ante omnia, ne diuersa permisceantur, anapaestos secernamus

oportet, ut in quibus alias uocabulorum dimetiendorum normas atque in iambis trochaeisque obseruari et unius fere syllabarum quantitatis rationem haberi constet. In anapaestis igitur *quidem* pronominibus additum est: Bacch. V 2, 58 *Ego quídem ab hoc cérte exorabo*; Pers. II 1, 2 *Nimis tándem mé quidem pró barda*; Pers. II 1, 4 *Me quídem iam sátis tibi spectatam*; Stich II 2, 5 *Nam mé quidem harúm miserebat* Ambros., *nam equidem harum miserebat* BCD; anapaestos agnouit Spengelius Ref. p. 417, trochaeos descripsit Ritschelius *Nám me quídem miserébat harum*, ubi *quídem* pronuntiatio mihi uitiosa uidetur; melius proposuit Frid. Schmidtius de pronom. demonstr. p. 51 *Nam hárum mé quidém miserebat*, Loewius Anal. Plaut. p. 213 *nám me equidem miserébat harum*; Bacch. V 2, 50 *Non hómo tu quídem es qui istóc pacto*; Cas. II 2, 34 *Satin sána's? nam tu quídem aduorsus*, ex quo uersus simillimus Cas. II 2, 30 fictus esse eoque a Spengelio Ref. p. 355 merito omitti uidetur; ceterum cur cum eodem uiro docto Stich. II 2, 5 Bacch. V 2, 50 Cas. II 2, 34 *equidem* pro *quidem* substituatur, ego non satis causae esse duco; Pers. II 1, 11 *Miser ést qui amat. Certo is quídem nihilist*; Bacch. V 2, 76 *iam pól id quidem esse haú perlonginquom*; Bacch. V 2, 65 *Quem quídem ego ut nón excruciem*; Poen. V 4, 8 *Certo énim quod quídem ad nos áttinuit* , ubi anapaestos statuit Spengelius Ref. p. 394, uulgo cretici describuntur ita demum probabiles, si cum Petro Scherero, De particulae *quando* apud uetustissimos scriptores latinos ui et usu (Argentorati 1883) p. 40, *attinit* siue *attineit* corrigas: *Cérto enim quód quidem ad nós duas* (ita codd. cum A) *áttineit.*

Ab anapaestorum autem turbulentis ac tumultuosis numeris longe distat iamborum trochaeorumque moderatio et constantia, licentiaeque pronuntiationis, quae in illis sine ullo pedum discrimine frequentissime usurpantur, in his aut omnino uitari solent aut raro certisque quibusdam pedibus permittuntur. Nam quae in anapaestis fere una dominatur quantitas, in ceteris numeris temperatur obseruatione accentus ita, ut certa uocabulorum genera in aliis syllabis ictus metricos recipiant, ab aliis excludant. Atqui particulae *quidem* pronuntiatio nihil singulare aut proprium sibi postulare uidetur, postquam sententia illa primum a Ritschelio commendata, qua priorem eius uocis uocalem eicere liceret, ab ipsis suasoribus est improbata: nam ad ceterarum uocum iambicarum exemplum etiam *quidem* aut pro iambo aut pro pyrrhichio esse, prout in posteriorem aut in priorem syllabam ictus metricus incidat, pridem uidetur exploratum esse. Sed diligentius perpendenti rem aliter se habere persuadebit ipsa illa accentus in ceteris praeter anapaestos numeris obseruatio. Nam quoniam *quidem* non est suae potestatis uox sed alterius uocis indiget, cui ipsa possit adhaerescere, hinc necessario concludendum est *quidem* non suum habere accentum sed

praecedentis uocis accentu comprehendi. Itaque non recte quaeritur, quae sit particulae *quidem* in uersibus mensura, sed quomodo (exempla petam e pronominibus, de quibus nunc expositurus sum) *me quidem, tu quidem, qui quidem* numeris soleant inseri; nec iam agitur de iambica particula *quidem* sed de creticis uel etiam, in tanta soni *m* finalis debilitate, dactylicis uocibus *mequidem tuquidem* cet. eiusdemque mensurae sunt *mihiquidem meoquidem* sim., siquidem *mihi meo* una uocali producta efferebantur. Et haec ratio usu prorsus confirmatur: nam eaedem normae, quae in ceteris uocibus creticum uel dactylum aequantibus, etiam in compositis *mequidem tuquidem* cet. a Plauto obseruatae sunt: itaque diligentissime cauetur, ne in altera syllaba ictus ponatur, *mequídem tuquídem* similiterque *egoquídem mihiquídem* cet., praeter unum pedem primum uersuum iambicorum. In hac enim sede cum pronuntiatio *omníbus consúlit milítis accípin nescío* sim. admittatur (cf. Ritschelius prolegom. p. CCXXIV, Oscar Brugmanus Quemadmodum in iambico senario Romani ueteres uerborum accentus cum numeris consociarint p. 42 sq., Paulus Mohrius De iambico apud Plautum septenario p. 19 sq., Spengelius Reformvorschlaege p. 306 sq.), etiam *mequídem mihiquídem* cet. nihil habent miri. Qua licentia Plautus usus est in principio senariorum Poen. V 6, 12 *Meae quídem profécto,* Rud. III 5, 4 *Meas quídem te inuito,* Merc. IV 5, 9 *Sua quídem salúte* Camerarius Guyetus Ritschelius Goetzius, *cum quidem salute* libri, Bacch. IV 8, 47 *Qua quídem te fáciam,* Truc. I 1, 51 *Quos quídem quam ád rem*, ubi cum una syllaba desit, Bothius et Ritschelius *quamnam ad rem*, Brixius et Schoellius *quos equidem quam ad rem* scripserunt, (Asin. prol. 2 *Quae quídem mihi átque*); in primo pede septenariorum Persa I 1, 20 *Mihi quídem tu iám eras mortuos,* Asin. II 4, 76 *Tibi quídem supplícium carnufex,* quem uersum Vssingius et Goetzius subditiuum esse censent; in quinto pede septenariorum Pers. II 4, 11 *Tua quídem cucúle causa,* Epid. II 1, 11 *Quae quídem pol nón maritast*; contra non est huius generis Asin. II 4, 72 *Id quídem tibi hércle fiet*, ubi *hercle* falso a *quidem* diremptum (cf. Herm. VIII 121 sq.) indicat uerborum ordinem turbatum esse, Reizius autem Fleckeisenus Vssingius Goetzius cum cod. F *id tibi quidem hercle fiet* restituerunt. Longius etiam illius licentiae usus progressus est in his trium senariorum et unius septenarii principiis: Aul. II 4, 4 *Me quídem hercle hic hódie tám palam non díuides* ex Muelleri coniectura a Goetzio recepta, *Me quidem hercle dicam palam non diuides* libri, Trin. II 4, 158 *Meus quídem hercle númquam*, Capt. I 2, 17 *Quod quídem ego nímis quam*, Rud. II 2, 16 *Eum quídem ad carníficem.*

In ceteris uersuum iambicorum pedibus et in trochaeis Plautus eam pronuntiationem nec aliis uocibus creticis dactylicisque nec pronominibus cum *quidem* compo-

sitis concessit sed his constanter binos ictus alterum in prima alterum in postrema syllaba tribuit, *méquidém téquidém ísquidém* itemque *égoquidém* cet., nisi quod in primo et quinto pede septenariorum trochaicorum ut uoces dactylicae ita etiam *tuquidem* et *quiquidem* perpaucis locis pro singulis trochaeis posita sunt. Iam omnia exempla primum bisyllaborum deinde monosyllaborum pronominum quam breuissime exscribam notulisque additis pronuntiationem significabo.

égo quidém Curc. I 3, 59 V 2, 20 Men. II 3, 48; *nam égo quidém* Men. IV 3, 10 Mil. II 3, 76; *égo quidem hércle* Asin. V 1, 15 et ex Seyfferti coniectura omnium quotquot de hoc uersu prolatae sunt maxime probabili, quamquam de sententia dubitatio residet, Aul. III 6, 34 *Non quód potem égo quidem hércle habeo. At ego iússero*, ubi libri *quod* et *habeo* omittunt; *égo quidem úsquam* Men. IV 2, 49 (619); *égo quidem huíus* Men. V 9, 12; olim Amph. II 2, 132 edebatur *Dixit? 'Ego quidem éx te audiui*, sed quia in BEJ et ut uid. etiam D *ego equidem* exstat, Fleckeisenus inuertit harum uocum ordinem: *Dixit? 'Equidem ego éx te audiui* et Seyffertus Goetzius Loewius adstipulati sunt; Poen. V 3, 46 *Ego quidem meos amores mecum confido fore* senarium supra modum luxuriantem Geppertus ita in suos fines restringere conatus est: *Meos équidem amores* cet.; lenius uidetur *quidem* resecari: *Ego méos amores.* Ab illa pronuntiandi consuetudine *égo quidém* semel, si libros sequeris, receditur, Epid. II 2, 18 *'Et ego Apoecidés sum. Et égo quidem sum 'Epidicus. sed, ere, óptuma* cet., ubi Geppertus, ut proceleusmaticum tolleret, *sum* posteriore loco induxit; mihi magis probatur Muelleri ratio *Et quidem ego sum* transponentis, qui uerborum ordo usu loquendi Plautino etsi non flagitatur at certe commendatur. —

Vt alibi ita etiam, si *quidem* adnectitur, *mihi* et *tibi* duplicem habent mensuram, ut aut pro iambo sint aut pro pyrrhichio

mihi quidem hércle in senariorum principio Merc. IV 4, 22 Poen. I 1, 23 Trin. III 3, 32.

tibi quidem hércle in eadem uersus parte Poen. I 3, 3 Rud. I 2, 20; *ét tĭbi quidem hércle* in primo septenario trochaico Truc. IV 3, 40.

mihi quidém Asin. I 3, 24 Bacch. I 2, 3 Pseud. I 3, 76 Rud. II 6, 67 Truc. II 4, 28 Poen. V 6, 16, quem uersum A omittit; *míhi quidem úno* Amph. II 1, 63; *míhi quidem hércle* Amph. III 4, 3 Most. IV 3, 28; *míhi quidem aéquomst* Aul. III 5, 26; *míhi quidem édepol* Cas. V 4, 31 Merc. II 3, 59, ubi *mihi quoque ita pol* Ritschelius et, quod uix est Plautinum, *mi quidem item edepol* Seyffertus Philol. XXVII 454 sq.; *míhi quidem hódie* Men. V 7, 50; *míhi quidem aétas* Trin. II 2, 38; *míhi quidem átque* Truc. II 4, 27.

tibi quidém Epid. V 1, 46 Merc. I 2, 103 III 1, 4; *tibi quidem hércle* Asin. II 4, 72 cf. supra p. 15; *tibi quidem édepol* Cas. II 6, 8 II 6, 31 Rud. II 6, 73; *tibi quidem íntust* Truc. I 2, 86.

Proceleusmaticis duo uersus deformantur: Mil. II 2, 3 *Míhi quidem iam árbitri uicini súnt, meae quid fiát domi,* sed haec Palatinorum scriptura ipso Ambrosiano corrigitur, in quo cum *mihi equidem iam* exaratum sit, Brixius et Ribbeckius cum Ed. Beckero *Mi équidem iam árbitri* exprimi iusserunt. Eam quae hic Ambrosiano suppeditatur medelam Brixius alteri uersui adhibuit, Capt. IV 2, 86 *'Esurire mihi uidere. Míhi quidem esúrio, nón tibi,* et *Mi équidem esúrio* reposuit; eadem dictione contrarium significatur Asin. III 3, 35 *Tibi équidem, non mihi, ópto.* — Controuersa est pedum distinctio Curc. IV 3, 15, ubi Fleckeisenus et Goetzius ita dimensi sunt: *Néc mihi quídem libértus ullus ést. Facis sapiéntius Quam latronum pars libertos qui habent et eos deserunt*; licet tamen etiam sic discribere *Néc mihí quidém libertus úllust* (sic B). *Fácis sapiéntius,* et hoc mihi longe uidetur praeferendum; nam proceleusmaticum, quamuis displiceat, in hac uersus parte alibi quoque compluriens admissum esse Muellerus Nachtraege p. 67 sq. exemplis confirmauit.

mĕá quidem hércle caúsa Men. V 1, 27 Rud. I 2, 51.

tŭúm quidémst Poen. III 1, 70; *tŭás quidem hércle* Rud. III 4, 32.

méum quidém Truc. V 71; *méum quidem édepol* Asin. I 3, 38; *méo quidem ánimo* Aul. III 5, 4 Bacch. I 1, 69 Cas. III 3, 7ᵇ Curc. IV 2, 13 IV 2, 28 Men. I 3, 17 Merc. II 2, 43 Poen. I 2, 23 Rud. IV 4, 94, ad quorum exemplum pridem correctum est Aul. III 6, 3 *Tamen e meo quidem animo aliquanto facias rectius,* unde Gulielmius *e* sustulit, et Bacch. III 2, 10 *Nám pol quídem meo ánimo ingrato hómine nihil inpénsiust,* quod Vssingius frustra uindicare studuit; nam uitium subesse ipsa *quidem* forma indicat, quam eiusmodi affirmationibus non adiungi sed praemitti Herm. XIII 499 et VIII 121 sq. exposui; aut igitur *Nám pol équidem méo animo ingrato hómine* cet. aut, quod uerius esse duco, cum Bothio *Nám pol méo quidem ánimo ingrato* restituendum est; Epid. I 2, 8 *Iám istoc próbior es meo quidem animo, quom in amore temperes,* ubi Muellerus *es* suo loco reposuit, *méo quidem ánimo's,* pariter ac duo uersus proxime praecedentes in Ambrosiano omittitur recteque a Gepperto et Goetzio damnatur. — *méa quidém senténtia* Cas. III 3, 1 Men. I 1, 5; Poen. V 6, 1 B tradit *Decípitur nemo méa quidém senténtia,* CP autem ordinem praue inuerterunt: *nemo quídem meá*; errorem, in quo partem codicum modo deprehendimus, omnes libri (BJE) commiserunt Epid. III 3, 12 (388 G) *Fuit cónducibile hoc quídem mea senténtia,* correxit Acidalius. — *méa quidem hércle operá* Asin. II 2, 9; *méa quidem hércle caúsa* Men. V 7, 40; *méa quidém*

nihil istuc refert Pers. IV 3, 68; *méa quidem* (*quidem* B *equidem* CD) *haéc habeo omnia* Pseud. IV 7, 91.

túa quidem ílle caúsa Men. V 2, 41; *tua quidem* . . *sors* incertis numeris Cas. II 6, 46.

súam quidém Most. IV 2, 13 (894 R) ex hac librorum memoria: *Nouít erús me. Súam quidém pol* cet., ubi, cum in *nouit* posterior syllaba producatur, non opus est cum Spengelio Ref. p. 301 et 385 supplere *Nouít erus mé. Suam quidem edepol.*

Ea quae uitari solet pronuntiatio *quidem* secundum librorum memoriam semel est admissa, Truc. II 7, 9 *Néque mea quidem opera úmquam nihilo minus* (*nihili omnib*; BCD *nihilominus* L) *properé quam pótest períbit*, ubi, si numeri sunt trochaici, Lambinus, cui Spengelius et F. Schoellius adsensi sunt, recte uidetur *hilo* [1]) *minus* scripsisse: *néque meá quidem ópera umquam hílo*; iambos uel anapaestos describit Muellerus Plaut. Pros. p. 132.

crux éa quidémst Cas. II 6, 64 Geppertus, *crux ea est quidem* Camerarius, *crucias quidem* libri; *éam quidem hércle* Truc. II 2, 7; *éa quidém sunt* Pseud. I 1, 58; Men. III 2, 32 *Post éam quidem édepol té dedisse intéllego* Vahlenus mihi uidetur recte olim (Mus. Rhen. XVI 633) emendasse *PE.* (= Peniculus) *Istám quidem édepol* [2]).

íbi quidém Merc. V 1, 12.

mé quidém Asin. V 2, 70 Curc. III 32 IV 4, 8 Men. V 2, 104 Mil. II 4, 43 Rud. I 4, 24, ubi *tú facis mé quidem uiuere ut núnc uelim* Fleckeisenus et Spengelius, *mé quidem ut uiuere nunc* libri parum probabiliter, Rud. IV 4, 121 V 3, 60 Stich. IV 2, 22; ex Brixii coniectura (ann. phil. 123 p. 54) accedit Curc. IV 3, 22 *Quid, ualeam? At tu aegróta aetatem, sí lubet, per mé quidem,* libri collocant *aegrota si lubet per me quidem aetatem,* uulgo *aegróta si lubét per me aetatém quidem* ordinatur. — *mé quidem últro* Bacch. IV 7, 27; *mé quidem hódie* Bacch. IV 7, 43; *mé quidem úmquam* Curc. IV 3, 8; *mé quidem haéc* Stich. I 1, 50; *mecúm quidém* Truc. V 66; *me*

---

1) Hanc uocem possis adsumere ad supplendum septenarium trochaicum Asin. II 2, 9 *Méa quidem hercle operá — liber númquam fies ócius*, si scribas *opera hílo liber númquam* uel uegetioribus numeris *operá numquam hilo liber*; cf. Stich. V 1, 3 *Qui hercle ílla causa ócius nihíló uenit.*

2) In fragmento Astrabae Plautinae apud Varron. de l. l. VI p. 249 Sp., quod Lachmannus Mus. Rh. VI (1839) 120 et ad Lucr. p. 304 ita descripsit: *Sequor hércle eam* (*herclem* corr. ex *erclem* ut uid. cod. Flor.) *quidem, nám libenter méa sperata cónsequor*, emendandum potius esse *Séquor hercle équidem* primus uidit Leon. Spengelius Ueber die Kritik der Varronischen Bücher de Lingua Latina Abh. d. Bayer. Ak. d. Wissensch. philos.-philol. Kl. VII (1855) p. 463.

quidem, non quod in libris (BCD) traditur *me equidem*, uerum esse Bentleius Bothius Ritschelius Brixius Vahlenus consentiunt Men. III 3, 27 *Di mé quidem omnes ádiuuant augént amant*; itemque Epid. III 4, 61 *Neque mé quidem emere quisquam ulla pecúnia Potuít* Ambrosiani scripturam *neque me equidem* errori tribuendam esse iudico; quam si praeferres, *neque equidem me* transponendum ueri simile est; nunc cum omnes libri in uerborum ordine conspirent, a *mé quidem émere* Palatinorum memoria merito non disceditur. — Pers. II 2, 38 sub finem haec tradita sunt: *'Itanest? Itanest. Mála's. Scelestus'. Décet me. Mé quidem haúd decet*; uitium, quod ipsa sententia indicat, Rostius op. I p. 263 sq. ita remouendum esse coniecit, ut *Mé decét. Me haud dédecet* scriberetur, Bothius *Mé quidem áddecet* maluit; aliae quoque coniecturae in promptu sunt, modo ne comprobes quod Ritschelius expressit *Mé quidem item áddecet.* Contra non *me quidem* cum Gepperto sed *me equidem* cum Goetzio pro uera scriptura habendum est Epid. III 2, 42 *Nimis dóctus ille est ád male faciúndum. Mé quidem cérto Seruáuit consiliis suis*: nam libri exhibent *met quidem* B¹ *me equidem* B² *me aequidem* J *meȩ quidem* E. Aduersatur normae supra constitutae unus uersus Amph. II 2, 117 *Hánc rogá. Me quidem praesente númquam factumst quód sciam*; sed hac dimensione, quae Fleckeiseno Goetzio Loewio placuit, certe non deterior, immo mea quidem sententia longe etiam praestantior est altera haec: *Hánc roga. Mé quidém praesente*; de *roga* cf. Men. V 9, 47 *úbi lubét roga: réspondebo.*

nós quidém Pseud. I 3, 41; *nós quidem hércle* Merc. V 4, 60; his ex Ambrosiani fide addendum est Poen. III 3, 36 *Quis hic ést? Nescimus nós quidem ístum quí siet,* contra Palatinos si sequerere *Nescimus nós istúm quidem quí siet* ordinantes, pronuntiationem haberes uitiosam; *nobís quidém* Rud. III 5, 51.

tú quidém Capt. I 2, 11 III 4, 42 Merc. I 2, 51 III 3, 10 III 4, 33 Mil. II 3, 51 IV 3, 18 (1111 R) Most. I 3, 104 Rud. V 2, 33; Epid. V 2, 1 cum traditum sit *Hábet. Immo edepol tú quidém miserúm me habes multís modis*, ut legitima diaeresis recuperetur, non licet cum Ritschelio et Goetzio seruato uerborum ordine *tú quidem míserum méd habes* scribere, sed reponendum est cum Bothio *tú quidém me míserum habes.* — *tú quidem's* siue *tú quidem és* Cas. II 5, 11 Most. I 3, 51 Pseud. IV 7, 55 Truc. I 2, 74; *tú quidem hércle* Men. II 2, 39 Pers. IV 4, 42 Pseud. I 1, 107 Rud. V 3, 13; *tú quidem édepol* Truc. I 2, 104 et cum libris Brixius Mil. III 1, 63 (659 R), ubi *túi quidem édepol* uulgo cum Camerario; *tú quidem éxplerí* Asin. I 3, 15; *tú quidem haú* Capt. I 2, 79; *tú quidem átque* Cas. II 6, 16. — In eis uersibus, qui ab hoc usu discrepant, non est habendus Most. I 3, 20 *Nolo égo te adsentarí mihi. Nimis tú quidem stúlta's mulier*, quia solus codex B hunc habet uerborum ordinem, ceteri libri

rectius tradunt *Nimis quídem tu stúlta's*; similiter Truc. II 2, 10 in A quidem recte legitur *Nímis quidem hic truculentust,* in BCD praue *Nímis hic quídem truculentust.* — Persa II 2, 49 *Tú quidem haud étiam es óctoginta póndo. At confidéntia* cet. Ritschelius *es* post *octoginta* collocauit: *tú quidem haúd etiam óctoginta es póndo,* quae uix mutatio appellari potest, quia *es* et *est* saepissime in libris Plautinis peruersum locum occupare constat; Muellerus Plaut. Pros. p. 393 Ritschelio adsentitur. — Merc. I 2, 64 *Tú quidem ex óre orátionem mi éripis. Taceó. Face,* quocum conferas uersum simillimum Stich. V 4, 36 *Haú tuum istuc ést uereri te. éripe ex ore tíbias*; in hoc si comprobas pedem quintum *eripe ex* syllabis effici, in illo quoque quin *tu quidem ex* pedem primum excuses facere non poteris; sin in Stich. Bothium sequeris *ex* tollentem, tum etiam in Merc. praepositionem spuriam habeas oportet. Eiusdem prorsus condicionis est Epid. I 1, 89 *Tú quidem antehác aliís solebas dáre consilia mútua*, ubi Seyffertus Goetzius Spengelius *tú quidem* in *tu équidem* mutandum censuerunt. Vt in his duobus uersibus ita etiam Curc. I 3, 28 *Tú quidem uigilas. 'At meo more dórmio: hic somnúst mihi* inusitata dimensio primo pedi septenarii trochaici concessa est, quem simul cum pede quinto uocibus dactylicis tamquam refugium uideri patefactum esse p. 16 commemoratum est; quamquam si ratio postularet, *tú quidém* facillime posses efficere uoce *at* sublata, quam nonnumquam inuitis numeris additam a librariis esse constat, cf. Muellerus Nachtr. p. 16 ad Pseud. 1241 et Rud. 1006. — Alienum a Plauto *tu quidem* est; nam Bacch. 34 *Nám tu quídem credo éxcantare cuíuis facile cór potes* septenarius trochaicus a Ritschelio est compositus ex his Nonii p. 102 et Seruii in Verg. bucol. VIII 71 testimoniis *nam credo cuiuis excanture cor potest* et *nam tu quidem cuiuis excantare cor facile potes*; et Poen. I 2, 103 ceteri quidem libri tradunt *'Vt tu quídem huius oculós inlotis mánibus tractes aút teras*, quam scripturam et sermonis insolentia et numerorum asperitas dissuadent, in Ambrosiano autem est *'Vt quidem tu huíus oculós* cet., quod Muellerus et Plaut. Pros. p. 136 n. 1 mutari uetuit et p. 401 de *tu* hoc addit: Zusammenhang und Grammatik verbieten seine Stellung vor *quidem* oder am Anfang des Satzes. *Vt quidem* heisst genau das was gesagt werden soll: ,(Nicht wahr,) zu keinem andern Zweck, als damit —?'. Cas. V 2, 37 uero, ubi Geppertus edidit *Nímis tu quídem hercle immérito nunc iráta* [*es, immo edepól probro*], et oratio et numeri prorsus incerta sunt.

té quidém Merc. V 2, 64 (912) Stich. I 3, 91 Truc. III 1, 21 IV 2, 38; *té quidem édepol* Asin. III 1, 39. Ex duobus uersibus, qui inusitatam praebent pronuntiationem, Cas. V 4, 17 *Té quidem opprèssisset. Feci égo istaec dicta quaé uos dicitis* simul cum praecedente corruptior est, quam de quo certi quidquam disputari possit;

quamquam, cum Ambrosianus *oppresset* tradat, *oppressisset* autem sententiae parum conuenire uideatur, priorem partem uersus ueri simile est ita constituendam esse: *té quidem óppressit*, id quod etiam Ritschelius op. II p. 682 n. arbitratus est. — Alterum uersum Poen. I 2, 68 *'Enim uero, ere, facis delicias. Dé te quidem haec didici ómnia* et ipsum deprauatum esse, uitiosa proceleusmatici forma arguit; Geppertus, cui Muellerus Plaut. Pros. p. 391 sq. adstipulatur, *dé te equidem haéc didici* correxit, cf. Aul. II 1, 18 *decet te equidem uera proloqui* et Epid. III 2, 42 supra p. 19.

uós quidém Cist. I 2, 27; *uós quidem hércle* Poen. III 2, 11; (*uós quidem íd* Amph. prol. 11).

ís quidem édepol Pseud. IV 7, 102; *ís quidem huíus* Capt. V 2, 21; *pól is quidem huíus* Capt. II 2, 85, ubi pro librorum scriptura *hic quidem* Fleckeisenus et Brixius recte *is quidem* substituerunt, quia de absente Menarcho medico uerba fiunt, *hic quidem* autem solos ad praesentes refertur; *íd quidém* Mil. II 4, 52 II 5, 65; *íd quidémst* Aul. III 2, 7 Capt. III 4, 32 Men. V 4, 5 Mil. IV 3, 30 Most. III 1, 96 (628 R) Poen. I 3, 14 III 4, 27; *íd quidem hódie* Amph. I 1, 270; *íd quidem édepol* Men. IV 2, 102; *íd quidem hércle* Pseud. I 1, 77; *íd quidem ín* Poen. III 5, 38; *pól id quidem éxperiór* Mil. III 1, 38; *pól id quidem haú* Poen. I 2, 78; (ex *hic quidem* deprauatum est *id quidem* Poen. IV 2, 17). — Truc. III 2, 25 *Si rúre ueniat. 'Is quidem apud nós est hic Strabax* apertum uitium Frid. Schoellius transponendo tollere conabatur: *ís quidem hic ápud nos ést Strabax*; sed cum nomen proprium ipsum subsequatur nec inter complures Strabaces discernatur, *is quidem* omnino alienum uidetur; adsentior igitur Spengelio, qui *Hic quidem apud nos est Strabax* edidit. — Coniectura eaque uitiosa *id quidem* effectum est Aul. IV 4, 10 *Póne. Id quídem pol té datare crédo consuetúm senex*, in libris *di quidem* traditur; nam ne pronomen *id* ad *datare* addatur, huius uerbi sensus uetare uidetur, qualis quidem ex aduerbio *datatim* cognoscitur, cf. in Ribbeckii com. Naeu. 75 et Afran. 222. Reponenda igitur Acidalii emendatio *Póne. Equidem pol té datare.*

quí quidém Amph. I 3, 8 Asin. V 2, 12 Bacch. IV 9, 68; *quí quidem ístius sít modi* Trin. II 4, 151; *quaé quidém* Stich. I 3, 104; *quaé quidem íllum* Most. I 3, 31; *quoí quidém* Bacch. III 3, 81; *quém quidem égo hominem* Epid. I 2, 18; *quém quidem hércle* Merc. V 4, 19; *quám quidém* Epid. I 1, 9[1]); *quó quidem águo* Aul. III 6, 25;

1) Muellerus Plaut. Pros. p. 123 sq. eumque secutus Goetzius *edepol* ad librorum memoriam addiderunt, ut hic septenarius trochaicus euaderet: *Quám quidem te iam diu edepol perdidisse oportuit.* Sed ex eis, quae ego Herm. VIII 121 sq. et Kellerhoffius De collocatione uerborum

qui quidém Truc. IV 3, 58; *qui quidem húc* Bacch. V 2, 14; *qui quidem ád* Men. I 3, 21. — Normae quae a Plauto in uocibus eiusdem atque *qui quidem* mensurae obseruari solent, in compluribus uersibus uiolatae sunt, ex quibus tamen nonnullos deprauatos aut non recte constitutos esse apparebit. In his est Bacch. II 3, 7 *Adíbo hunc, quém quidem ego hódie faciam hic árietem Phrixi: ítaque tondebo aúro usque ad uiuám cutem.* Ritschelius priorem uersum talem qualem libri tradunt expressit, contra Hermannus *ego* eiecit: *quém quidem hódie*; sed *ego* pronomen in eiusmodi sententiis usitatum fuisse docent uelut Epid. I 2, 18 *quém quidem égo hominem inrigatum plagis pistori dabo*, Amph. II 1, 42 *quoius ego hodie in tergum* cet., Amph. IV 2, 10 *quem pol ego hodie* cet., permulti alii loci. Vera emendatio ipsa se offert, si hos uersus contuleris: Mil. V 1, 19 *quod tu's hodie hic uerberatus*, Mil. V 1, 28 *út ted hodie hinc amittamus*, Pseud. II 2, 20 *procudam ego hodie hinc multos dolos*, Mil. V 1, 22 *quod ego hic hodie uapularim*; unde cum appareat *ego hodie hic* coniungi esse solita, in illo uersu reponendum erit *quém quidem égo hodie hic faciam árietem*. — Curc. I 3, 37 *Quód quidem mihi pollúctus uirgis séruos sermoném serat?* quo uersu is qui loquitur indignationem suam significat; sed neque dictio congruit cum ea, quae in eiusmodi exclamationibus usurpatur, nec interrogationem licet cum Fleckeiseno statuere, quia *quidem* a pronominibus interrogatiuis prorsus alienum est. Quod cum Vssingius intellexisset, *quidem* omnino abiecit et ad coniunctiuum *serat* in principio uersus *talem* uel *istum* accommodatum esse censuit; atque ipse in uersum *talem mihi* recepit, Goetzius *quíd? istum mihi.* Sed siue his siue aliis uocibus primum pedem exples, illud constat *quidem* in eo uersu nullum locum habere; nam quae Zimmermannus in progr. Posn. 1880 p. 6 explicat, inutilia sunt. — Epid. V 1, 32 *Nón me nouistí? Quod quídem nunc uéniat in mentém mihi.* Quod in duobus uersibus Truc. II 7, 37 et IV 2, 14 Spengelio et Schoellio permissum est, quod praeterea Aul. II 1, 49 cum cod. Pal. VI Muellerus Plaut. Pros. p. 475 Seyffertus Z. f. d. Gymn. XXXIII 472 Brixius ad Trin. 1141 commendarunt, ut librorum scripturae *nouisti* et *nouistin* in *nosti* et *nostin* mutarentur, idem ut illi quoque uersui concedatur, mihi uidetur necessarium esse: *Nón me nosti? Quód quidém nunc* cet., cum praesertim Curc. III 53 et Men. II 2, 20 *nosti* et *nostin* et in codicibus et in editionibus legatur. — Hos igitur uersus si exceperis, *qui quidem* et *quae quidem*

Plautina p. 18 sqq. exposuimus, patet *edepol* itemque *hercle pol ecastor* aut post *quidem* collocari nulla uoce altera intercedente aut *edepol* cet. praecedere ita, ut *edepol* et *quidem* altera uoce, raro pluribus, dirimantur; utriusque positus exemplum habes in uno uersu Mil. I 1, 19 *Istud quidem edepol nihil est. Nihil hercle hoc quidem est.*

quater in trochaeis non sesquipedes, ut fieri solet, sed singulos pedes complent: semel in octonario Bacch. IV 9, 57 *hominem ad lácrimas coegi cástigando Máleque dictis quae quidem quíui cónminisci. Quíd ait? Verbum Núllum fecit*; ter in septenariorum pede primo uel quinto (cf. p. 16 et ad Curc. I 3, 28 p. 20) Trin. II 2, 55 *Quí quidem núsquam pér uirtutem rém confregit átque eget*, Trin. IV 2, 111 *Quí quidem nón nouísse possim quícum aetatem exégerim*, Poen. V 4, 34 *Séd quis homost? Amícus uobis. Quí quidem nón inimicus sit*, ubi propter librorum discrepantiam *qui quidem inimicus non sit* A, *qui quidem inimicus non est* BCD aliud quiddam, atque nunc editur, latere suspiceris.

Itaque omnibus uersibus, in quibus *quidem* pronomina personalia possessiua relatiua subsequitur, examinatis certo exploratum est, pronomina illa cum *quidem* composita prorsus ad normam creticarum dactylicarumque uocum a Plauto usurpata ac, ne in paenultimam syllabam ictus metricus incideret, praeter anapaestos et primum pedem uersuum iambicorum diligentissime cautum esse.

His rite praemissis hoc edicto pronuntiamus fasces academiae nostrae crastino die ad virum nobilissimum et experientissimum

Dr GUILELMUM LEUBE

PATHOLOGIAE ET THERAPIAE SPECIALIS PROFESSOREM PUBLICUM ORDINARIUM ORDINUM S. MICHAELIS BAVARICI ET FREDERICI WIRTEMBERGENSIS PRIMAE CLASSIS ATQUE CRUCIS BAVARICAE IN MEMORIAM ANNORUM MDCCCLXX ET MDCCCLXXI EQUITEM

prorectorem suffragiis collegarum creatum, regis nostri augustissimi potentissimi clementia confirmatum translatum iri. Is eodem die hora matutina XI in aula academica munus suum oratione publica auspicabitur. Quam ut audiatis Vestraque frequentia his sollemnibus speciem et dignitatem addatis, Vos, collegae coniunctissimi, commilitones humanissimi, amici universitatis nostrae omnium ordinum ornatissimi, omni qua par est observantia invitamus.

Erlangae die II mensis Novembris a. MDCCCLXXXIII.